

Dissertatio medica inauguralis, de opio.

Contributors

Monchy, Salomon de, 1716-1794.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Johannem Luzac, 1739.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uyr5s6dy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

3

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
O P I O.

QUA M,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. ALBERTI SCHULTENS,

S. S. THEOL. DOCT. ET LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSORIS
ORD. IN ILLUST. ACAD. LUGD. BAT. COLLEGII THEOLOG.
ILLUSTR. AC PRÆPOT. ORDINUM HOLL. ET WEST-
FRIS. REGENTIS. MSS. ORIENTALIUM LEG.
WARNER. INTERPRETIS.

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini submittit

SALOMON DE MONCHY, Gouda-Batavus.

Ad diem 23 Junii 1739. Horâ, locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC,
M D C C X X I X.

S. Heij Cammel

ОДИНОЧНЫЙ САЛФЕТКА

САЛФЕТКА ДЛЯ ПРИЕМА

**NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
INTEGRIMIS**

V I R I S.

**D. GULIELMO DE MONCHY,
MERCATORI APUD ROTERODAMENSES VI-
GILANTISSIMO.**

**D. PETRO DE MONCHY, J. U. D.
FRATRIBUS SUIS GERMANIS AMANTISSI-
MIS, DILECTISSIMIS.**

**D. JOANNI DE MONCHY, J. U. D.
URBIS HORNNAE NUPER SCABINO AEQUIS-
SIMO, CONSULTISSIMO, PATRUO SUO UNI-
CO, OMNI OBSEQUIO, PIETATE, ATQUE RE-
VERENTIA, PROSEQUENDO.**

D. GULIELMO VLAARDIN-
GERWOUD, J. U. D.

TOPARCHAE IN NOORDSCHARWOUDE, COL-
LEGIO AGGERIBUS WOERDANIS TUENDIS
ADSCRIPTO, SAGACISSIMO, PRUDENTISSI-
MO.

D. MARTINO VLAARDINGER-
WOUD, J. U. D.


TOPARCHAE IN DIRKSLAND, WYK, VEEN, ET
AALBURG, FLORENTISSIONE ROTERODA-
MENSIMUM CIVITATIS SCABINO, CENTURIONI
SOLERTISSIMO, DIGNISSIMO.

D. JOANNI DE BRUYN,
REIPUBLICAE DORDRACENSIS OCTOVIRO,
PUBLICORUM REDITUUM QUAESTORI FIDE-
LISSIMO, SPECTATISSIMO.

ILLIS PATERNI, HUIC MATERNI
SANGUINIS NEXU ARCTISSIME
SIBI JUNCTIS, OMNI HONORIS
CULTU, DUM SPIRITUS HOS RE-
GET ARTUS, VENERANDIS, HO-
NORANDIS.

*Specimen hoc Inaugurale in perpetuam
rei memoriam sacrum facit*

SALOMON DE MONCHY,
A U C T O R.



PRAEFATIO.

¶ um omnis Medicinae scopus sit sedare Dolorem,
¶ C Vitam, omnesque ejus functiones conservare,
¶ Dissertationem pro Specimine Inaugurali scri-
pturus, plurima remedia consideravi, quibus sco-
pus iste obtineri posset, & quodnam horum efficacissi-
mum, & ubinam loci existeret, sollicite inquisivi; sed
quo me potissimum verterem, anceps, nesciusque diu bae-
si. Consulendo Auctores, haud paucos advertei in Mine-
ralibus illud quaesivisse, alii quippe Antimonium, alii
Vitriolum, alii Metalla ipsa ad focum, & incudem vo-
carunt: quid vero praestiterint ad Dolores urgentes se-
dandos, felices Experientiae nondum adeo manifestum
fecerunt. Alii vero Regnum Vegetabile praetulerunt,
quod primo Homini Cibum, & Medicamentum ministra-

A

vit,

vit, & hanc ob rationem majori jure eorum vestigia
imitanda censui; quin etiam ipsa Animalia, morbis corre-
pta, aut Venenis aliorum infecta, salutem in Vegetabili
haud raro quaerere solent; sic V. G. Canis ingluviem
luens ad Gramen, Bufo ab Aranea ictus ad Plantagi-
nem confugere dicitur. Praeterea multa alia Naturae
sunt indicia, quae in Vegetantibus Medicamenta insi-
gniora latere ostendunt, quorum si non omnium, saltem
longe plurimorum, agmen facile ducens nobilissimum, ac
non minus utile remedium, Opium nuncupatum, Morta-
libus innotuit; recte enim adhibitum virtute sua Poly-
chresta in Republica nostra Microcosmica turbata pa-
catoria reddit, Doloris suave lenimen praefat, Vitam
saepe servat, ejusque functiones Somno, quo dolenti nil
gratius est, restituit, Mortem fugat, quae modo de Vi-
ta triumphare cœperat: cuius & veneranda Antiqui-
tas eminentes super omnia alia remedia vires absque du-
bio quidem agnovit; verum, ut eas indignis occultaret,
infinitorum nil fere facientium seriem admiscuit, uti pa-
tet in Theriaca Andromachi. Negabis forte audax hoc
assertum: sed res ipsa confirmabit, simplicissimam veri-
tatem multis involucris esse absconditam; nam, quæso,
tolle

*tolle Theriacae Opium: quid erit? nil nisi confusum
Chaos, vix nuce cassa dignum, optime quadrans cum
dicto OVIDII, ubi loquitur de Mundi primordiis Meta-
morph. Lib. I.*

— — — Nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.


*Itaque additamenta in Theriaca pleraque ad pompam,
Etipationemque absque omni ratione consarcinata esse viden-
tur; imo nullus retrectabit, quod per pauciora fieri possit,
nunquam fieri per plura debere. Recte inquit ARNOL-
DUS VILLANOVANUS, qui potest curare aqua pura, non
eget turbida.*

*Praedictorum omnium igitur consideratio ansam dedit,
ut penitus in Medicamentum bocce Heroicum inquire-
rem, quid sit, unde veniat, quomodo agat, & in qui-
bus morbis salutare. Arduum, fateor, suscepi nego-
tium, utinam par ipsi foret conamen! Magnificum ve-
ro dicendi genus B. L. non desiderabis, nec etiam nova mo-
liemur, nec veri specie illustria suppressimus, neque si*

forsan contrariam foveamus sententiam, acriter censuram feremus, quod temerario, & juvenili judicio, illotis manibus Sacra Artis profananti, proprium esse solet: non autem gloriam, sed quod bono publico utile, Arti gloriosum, Aegris tutum, jucundumque sit, omnes cordati Medici indefesso venantur studio.

Auctoritas, atque observationes Scriptorum, ac Clarissimorum meorum Praeceptorum, & Experimenta pauca a me instituta dicendi normam dabunt. Si tamen ratiociniis, quae res ipsa exigit, a veritatis tramite deflexero, vel quid praetervisum, vel rudiori Minerva expolitum vobis videatur, veniam mibi potius, quam severum largiri judicium, vos rogatos volo. Illa ergo spes fretus, pro ingenii mei copiolis provinciam hancce scribendi suscipio.

DIS-



DISSE

R

TAT

I

O

M

E

D

I

C

A

INAUGURALIS,

D E

O P I O.

C A P U T P R I M U M.

Etymologiam Vociis , Synonima , & Definitionem complectitur.

§. I.



pprime recte dicebat olim Galen. Lib. 1.
Meth. Med. Cap. 5. Sine notione Nominis propositæ rei essentiam invenire non licet. Cum itaque illud jam antiquis Artis Medicæ aetatis in usu fuerit solenni , a scopo me etiam haud aberraturum arbitror , in hujus Dissertationis limine si vocabuli , variarumque , quas fortitum est , denominationum involuera ante omnia removero , ut sic via quadantenus struatur ad adyta rei exhaurienda.

DISSERTATIO MEDICA

II. Nomen *Opium* quis forte ab *opem ferendo*, & hinc Nostratisbus *Hemulsa*/id est, succus solatium adferens, dictum, meditando deducere posset; sed, quoniam haec derivatio omni omnino, quod sciam, destituta est auctoritate, potius illud, quamplurimis assentientibus, Graeciam Natales agnoscere putamus; Graecis quippe dicitur *'Om̄os*, forma diminutiva descendens ab *'Om̄os*, *succus*, praecipue vegetabilis, teste *Theopr.* Lib. IX. *Hist. Plant.* Cap. 1.

III. *'Om̄os* vero, & *'Om̄os* unum idemque apud Grammaticos denotant; verum autem magnopere inter se differre, summo jure Scriptores Rei Medicae contendunt; etenim ὁπὶς καὶ ἔξοχὴν succo ἐστιφίς, seu *Laserpitii*, quem *Prosp. Alpin. Rer. AEgypt.* P. 1. Lib. III. Cap. 9. *Aſam* foetidam vocat, ab Antiquis saepe attribui solet. Sic exponitur *GALENO* ὁπὶς ὁ ἐστιφίς καὶ ἔξοχὴν ὥστερ καὶ καυλὸς, i. e. *succus Silphii* per excellentiam vocatur ὁπὶς, quemadmodum ἐστι *caulis*. Sicuti nunc *'Om̄os* pro *Silphii*, sic etiam *'Om̄os* pro solo Papaveris succo habetur Gal. I. A. tid. 15. *'Om̄os* ὁ τὸ μῆκων, ὅν δὴ καὶ μηκόνεον, τε καὶ *'Om̄os* ὁ νομαζεστον, i. e. *succus Papaveris*, quem ἐστι *Meconium*, & *'Om̄os* appellant.

Ratio autem, cur nomen hoc eximum prae aliis huic succo Antiqui adscriperint, opinor, est haec, vel quod magnam hujus succi Lactei copiam praebeant Papavera, vel, quod mihi videtur vero esse similius, propter usum ejus frequentem, & quasi divinam operationem, Hominum ingenia in admirationem rapientem, omniaque alia fere Medicamina superantem: eodem modo ac *Ἐπιλεψίαν* propter pertinaciam, & magnitudinem vocabant *μεγάλων νόσον*, i. e. *Magnum Morbum*, quasi major non foret; sic etiam *αὐθὲς*, *Flos pro Flore Rorismar.* & *Cortex pro Cortice Peruvian.* saepe usurpatur.

IV. Dicitur etiam *Μῆκων*, ut patet ex loco *GALENI* supra jam laudato. Deducitur a *μῆκον*, *Papaver*, quod an originem suam trahat a τῷ μῆκος, *Longitudo*, seu *Prolixitas*, quia scilicet capita Papaveris, praecipue quae crescunt in regionibus calidioribus, observantur oblonga, & ratione habita, majora esse, quam aliae plantae partes; an vero a μῆκος, *Jon.* pro μῆ-

μῆχος, *Remedium*, propter eximias ejus virtutes, quas saepe, & plurimis in casibus jam experti erant Veteres; an tandem secundum alios a μὴ νοεῖν, *non ministrando*, quod vincit Papaveris sopore sensus, membraque stupefacta rite agere nequeant, res eodem redire videtur.

V. Quamvis *Om̄os* inter, & *Mηκαύετος* in vulgari loquendi more nihil intersit, & saepe numero pro succo Papaveris, quocunque modo parato, promiscue usurpentur, tamen Medicorum Filii aliquam admiserunt distinctionem. Qua de re postea data opera plura attinet dicere.

VI. Nobile illud Remedium *μηπένθης*, Latine quasi dices *nullus luctus*, de quo HOMERUS mentionem fecit *Odyss. 4.* & quo Helena omnem animi morbum, omnes e corde languores, & dolores abegit, & hilaritatem, laetitiamque conciliavit, nihil aliud fuisse, quam succum ex Papavere praeparatum, plerique asserunt Medici, rationemque addunt, quod Helena prope Thebas in Aegypto, quo loco *Opium* praecipue illis temporibus colligebatur, hoc usurpaverit, quum illud a Regis Uxore dono accepisset.

VII. Si ad Arabes, & Indos derivamur, apud illos occurrit nomen *Ofium*. Graecorum autem *Om̄os* ab hoc vocabulo primam habere originem credidit BONTIUS *Animadv. in Garc. Cap. 4.* quia ab omni memoria vetustissimi illi Populi eo usi fuerunt, quod MARCGRAAVIUS in *Mat. Med.* etiam affirmat. GARCIAES vero ipse l. c. aliam longe, & e Diametro oppositam amplexus est sententiam. *Quod nos, inquit, Lusitani corrupto nomine Amfiam appellamus, id Mauritani, quos Indi secuti sunt, Ofium vocant, deducto a Graecorum Opio nomine.* Pleraque enim nomina a Lingua Graeca mutuati sunt Arabes, P. in F., quod sint literae multum affines, mutato; sic *Opium*, *Ofium*; *Poenonia*, *Faunia*, & multa similiter.

VIII. KAEMPFERUS Fasc. III. *Amoen. Exot. Obs. 15.* de Indorum, Persarumque inebriantibus differens, memorat, quod Persia *Opium* ex reverentia appellat *Theriaki*, id est, *Theriacam*; nam, dicit ille, *haec illis est illa Galene, Hilare, & Eudios*, i. e. *Medicina animo serenitatem, hilaritatem, & tranquilitatem*.

DISSERTATIO MEDICA

quillitatem conferens: quo olim tergemino elogio Theriacale Antidotum Andromachi appellatum legimus.

IX. Tacemus Nomina minus usitata, vel controversa etiam adhuc, atque dubia paulo; sic *Mislach* Turcarum esse idem cum *Opio* affirmat BAUHINUS in *Pinace*, adstipulante POMET Tom II. *Hist. des Drogues* Liv. 2. CASP. vero HOFMANNUS hanc refutavit sententiam Lib. II. de *Medicam. offic.* Cap. 169. §. 22. ubi scribit, quod *Mislach* sit semen *Stramoniae vulgaris*, quae est *Tatula*, vel *Datyra* Turcarum, *Solanum Manicum* *Diosc.* quod toxicum Mulieres quaedam Indiae ita praeparari norunt, ut *Mentem* turbare possint ad certum horarum spatium plus, minusve, prout ipsis lubet; vide CHRISTOPH. A COSTA Lib. I. Cap. 5.

X. Apud alios denique *Omfium*, *Affion*, *Amfian*, *Afiun*, & *Ofiun* appellatur: horum tamen variationes speciales, hic illic occurrentes, non opus est attingere; sed veluti Coronidem tantum addemus, quod, quo plura Medicamenti alicujus Nomina occurruunt in Auctoribus maxime diversis etiam Linguis, & sic apud plures Nationes, eo dignius, nobilius, & magis frequens in usu idem reputandum fit.

XI. Hisce, quae ad vocis significationem enodandam quidpiam contulerunt, Definitionem, quam vocant, Realem addemus, qualem damus sequentem. *Opium est succus salino-saponaceus, ex Papavere prolectus, & inspissatus, ponderosus; interne, & dum recens est, molliusculus; externe, & dum inveteratus est, duriusculus; coloris ex nigredine ruffescens; odoris graveolentis, injucundi, Papaveraceam redolentis prosapiam; saporis amaricantis, penetrantis, & subacris; multifarios in Medicina suggestens usus.*

CAPUT SECUNDUM

Historiam Naturalem Plantae, Opium productentis, describit.

XII.

Subjectum, unde *Opium* depromitur, esse Plantam *Papaver* dictam, omnes, quotquot saltem ego hac super materia consului Auctores, uno ore pronunciant.

XIII. Nomen suum a formoso Puer *Papavere*, in florem sui nominis verso, ortum ducere nonnulli testantur; aliis vero magis placet derivatio a *Pappa*, i. e. pulte lactea Infantum, quia olim Nutrices multi Infantum hanc plantam, vel ejus semen permiscebant ad *Colicos* eorum dolores sopiaendos, vel quia ejus folia incisa Lacteum fundunt liquorem.

XIV. Planta haec apud Veteres in summo fuit honore, nam, teste *PAUSANIA*, in *Corinthiacis* exstitit Veneris simulacrum, altera manu tenens capita *Papaveris*: dein hoc satis abunde exinde patet, quod hac magis, quam ulla alia, fruge consitos agros, & hortos habuerit Antiquitas, quia videbat quotidie in templis, Deam Cererem manu gestare *Papaver*; unde credidit, Deam illam coli, & ornari, copiosum si in arvis suis cresceret *Papaver*. Hinc & *Virg. Georg. Lib. I. Vers. 212. Cereale*, quasi Cereri gratum, vocat *Papaver*.

*Nec non & Lini segetem, & Cereale Papaver
Tempus humo tegere.*

*Allia tum Cepis, Cereale Papaver Anetho
Jungite.* Columella Lib. X.

B

Aft

Ast JOH. BAUHINUS, aliique cum illo hujus gestationis *Papaveris* in manu Cereris aliam longe dederunt explicationem, censes, quod non ad cibum *Papavere* usq; fuerit Dea illa, sed ut dolorem ab amissa Filia (Proserpina scilicet, quae rapta erat a Plutone) somno levaret, & in luctus infortunii sui memoriam Mortalibus semper id ostenderit.

Batavorum autem Agricolae maxime oderunt *Papaver*, si inter sata crescat: ob notum illud VIRGILII Carmen Georg. I. 77.

*Urit enim Lini campum seges, urit Avenae,
Urunt Lethaeo perfusa Papavera somno.*

XV. Recensetur a Cl. BOERHAAVIO in *Indice Plant.* ad genus plantarum *Polyangiarum Polyspermorum*, i. e. quarum fructus constructus est ex pluribus, quam quinque, distinctis vasculis, in quibus continentur semina plurima, & numero incerta. Si vero divisionem generalem, quam CAROLUS LINNAEUS exhibet, sequamur, ad illam classem pertinet, quæ *Polyandra Monogynia* apud illum audit, hoc est, quando stamina sunt duodecim plura, receptaculo adnata, in flore Hermaphrodito cum pistillo unico.

XVI. Plurimae profecto *Papaveris* species apud varios Rei Herbariae Scriptores habentur, quas tamen omnes enumerare supervacaneum foret; alius enim alium specierum ponit numerum. In quatuor quasi summa genera has redegit DIOSCORIDES, 1°. *Hortense*, quod iterum in quatuor species subdividit, 2°. *Erraticum*, 3°. *Spumosum*, seu *Heracleum*, & 4°. *Corniculatum*. PLINIUS specifica illis dedit nomina a seminum colore, dividens in *album*, & *nigrum*, quae *Diosc. Sativum*, & *Sylvestre* appellat. In *Indice Plantarum* Cl. BOERHAAVII 34. species collectas videre licet. Quaenam autem harum praebat

beat *Opium*, jam dudum inter Medicos ventilata fuit quaestio: quoad genus, *Dioscoridis* scilicet primum, plerique quidem conveniunt; quamvis & olim ex *Corniculato* factum fuisse memoraret *Diosc.* 65. sed multi multum referre putant, an ex *albo*, an ex *nigro* fiat. Ex priori quod colligatur, voluerunt *GARCIA*s l. c. *Non autem est id Papaver nigrum, nam in tota Cambaja haud invenias; sed num aliis in regionibus colligatur, ignoro.* *BELLONIUS Obs.* Lib. III. Cap. 15. *Agros Papavere albo conserunt.* Contra ex posteriore praeparari Scriptis suis tradiderunt *AVICENNA* Lib. II. Cap. 519. *Plin.* Lib. XX. Cap. 18. *Diosc.* & plures alii.

Utut hi inter se toto coelo differre videantur, nil tamen obstat, quin ad stipulantibus *PENA Adv.* f. 111. & *PROSPERO ALPINO Rer. AEgypt.* P. I. Lib. III. Cap. 9. *POMET Hist. des Drogues* Pag. 80. credamus, quod hodie aequo ex *albo*, ac *nigro Papavere* proveniat *Opium*; sed forte ex *nigro*, prout nonnullis placet, copiosius, & efficacius, ex *albo* vero imbecillius habetur: imo observaverunt *LOBELIUS Obs.* f. 142. & *PENA* l. c. quod *Natura* quandoque ludat, & semen *album*, si absque voluntate *Hortulani* germinet, saepe in *nigrum* vertatur: hoc tamen aliis, rite satis ad haec attendantibus, nunquam in his Regionibus, sed quidem ex *nigro* fusci, ad rubrum vergentis, imo adhuc magis a *nigro* recendentis coloris semen productum observare licuit.

XVII. Paucis jam perstringendus erit *Papaveris* Character Naturalis, quo ab aliis distinguitur Plantis.

Papaver itaque est Planta, cuius semine Rustici agrorum tractus singulis annis conserunt, ut apud nos cum *Tritico*, *Hordeo*, aliisque Cerealibus contingit: sed tamen singuli non plus ferunt, quam familiam habent ad id colligendum sufficiensem; nam hoc negotium, teste *Bellon.* Lib. III. Cap. 15. in latifundii satione non versatur, sed in legentium numero, & diligentia.

Raix digitalis circiter est crassitudinis, amaro lacte non-nihil pingui, & oleoso, sicuti tota Planta, turgens. *Caulis*, sive *Scapus* surgit rectus cubitum unum, aut duos al-

tus, laevis plerumque, nonnunquam aliquo modo hirsutus, in rectos ramos divisus. *Folia* his adnascuntur alterna, palmari longitudine ampla, oblonga, subcandida, vel ex nigro viridia, varie, & inaequaliter dissecta. *Calix* est bifolius, valde caducus, ovatus, emarginatus. *Flos* prodit, vel simplex, vel plenus; coloris in eadem etiam specie mire aliquando ludentis, quare & Auctore LINNAEO ille in differentia nil valet; quatuor instructus est *Petalis* planis, subrotundis, magnis, basi angustioribus, alterne minoribus, & *Staminibus* numerosissimis, instar capillorum tenuibus cum *Antheris* in summitate hisce adnexis, oblongis, compressis, erectis, atque obtusis. Vide CAR. LINNAEUM. Huic succedit *Fructus*, *Caput* dictus, rotundus aliquo modo, nunc oblongior, nunc depresso, variae magnitudinis; in Asia autem *Papaver* cultum praegrande dat caput, quod *Carca* nominant, ita ut fere ʒXL. aquae interdum excipiat. Optimum, dicunt Auctores, est coloris nigri, vel viridis ex nigro; saporem habet adstringentem, ingratum, Narcoticum; superne tegitur *Tuberculo* admodum singulari, scilicet operculo stellato, tot habente radios, quot sunt cellulae intus; interior ejus superficies distinguitur decem, & usque ad quindecim *Sepimentis* quasi cartilagineis; in quibus conspi ciuntur *Puncta* elevata, asperiora, & coloris obscurioris: his autem *Septis*, ut suis placentis, (mediantibus eminentiis illis, quae sunt quasi tot funiculi umbilicales) ab omni puncto ad parietes adhaerent. *Semina* numerosissima, minutissima, rugosa, reniformia, alba, vel nigra, dulcia, & suavissima; quae ratio est, quod tosta, præcipue albicantia, in secunda mensa melle macerata apud Antiquos dabantur, quod bellarium. *Festus* vocat *Cocetum*; & ex Gal. Lib. VII. *Simpl.* constat, Veteres panes *Papavere* sparsos in deliciis habuisse: hinc cum ali quid studiose politum significare vellent, *Papavere*, & *Sesamo* sparsum dicebant. Sic PETRONIUS in initio: *Audiunt mellitos verborum globulos, & omnia ditta, factaque quasi Sesamo, & Papavere sparsa.* In Germania, aliisque locis inde fiunt placentulae, ut fertur, quam suavissimae. Abundant haec *Semina* multo oleo, quod pro Amygdalarum oleo saepe venditur, & cuius usus

usus in Argovia est in Lampadibus, praecipue loco olei Oli-
varum: nonnulli etiam id Butyri loco in cibis adhibent. Tra-
dedit **GALENUS**, quod somnum concilient: imo exemplum apud
Botanicum **PAULI** extat, quod nimia eorum dosis mortem per
somnum induxit; sed haec observatio dubiae mihi videtur
esse fidei, quoniam his saltem locis ad libram integrum, & plus
uno die quis comedere potest sine ulla noxa; nam eatenus
praecipue sunt Anodyna, quatenus partes laxando leniter
emolliunt, & acria involvendo, placidissimam quietem corpori
conciliant; adeoque agunt ut omnia Emollientia: hinc frustra
anxia dosi praescribuntur ab aliquibus, qui inani metu illam
ad paucas tantum Drachmas limitant.

CAPUT TERTIUM

*Opii Originem, Patriam, Tempus, Mo-
dumque colligendi, Species, Notas, at-
que Electionem exhibet.*

XVIII.

Opii ORIGO, ejusque primus Inventor quis fuerit, omnes,
tum Veteres, tum Recentiores alto involverunt silentio.
Quod autem usus ejus ab omni fere aevo jam innotuerit, sa-
tis superque ex dictis §. 6. constare arbitror; hinc, licet in Mo-
numentis Hippocraticis, quae exstant, *Opii* mentio expresse
non fiat, tamen si non genuinum, & methodo statim dicenda
praeparatum *Opium*, saltem Papaveris succum, sive liqui-
dum, sive inspissatum adhibuisse probabile valde est, nam vi-
res ejus jam per §. ad minimum secula cognitae erant, praet-
erquam quod ipse *Liber. 2. de morb. Mulierum* commendet *an-*

$\mu\eta\kappa\omega\tau\circ$; & eodem Libro *Succo Papaveris* adscribat vim Nar-
coticam, quando dicit $\kappa\alpha\rho\omega\pi\eta\eta\mu\eta\kappa\omega\tau\circ$; adde, quod ingre-
diens sit Antidotij ejusdem, descripti a Nicol. Alex. Apud DIOSCO-
RIDE M vero, GALENUM, atque ARABES passim ejus nomen,
atque usus occurunt.

XIX. NATALE *Opii* SOLUM diversas esse Orbis plagas, easque
praecipue, notante PLINIO, siccas, & ubi raro pluit, ex va-
riis Exoticarum Rerum Scriptoribus abunde colligere est.

In AFRICA enim *Aegyptus*, maxime Urbs ejus antiquissima,
Thebae dicta, olim plurimum, & optimae notae mittebat
Opium; unde & hodierno die a Medicis *Opium Thebaicum* fe-
re semper praescribitur: quam Urbem, licet maxima pro par-
te sublapsa jaceat, etiamnum illud proferre Auctor est *Prop.*
Alpin. Lib. IV. Cap. 2. de Medicin. *Aegypt.* Hunc succum, in-
quit, quo omnes utimur, Opium puta, ex locis Sajeth, ubi olim
Thebarum urbs erat praeclarissima, deferunt. GARCIAS vero
Lib. I. Cap. 4. e Cairo, quod in *Aegypto* prope Nili fluminis
divisionem in duos ramos situm est, atque adeo sat multum
adhuc a *Thebis* distans.

ASIA autem uberrimum dat *Opii* proventum, siquidem, te-
ste BELLONIO, loco citato, ex *Paplagonia*, *Cappadocia*, *Ci-
licia*, aliisque *Natoliae*, seu *Asiae Minoris* Provinciis,
praeprimis ex Urbibus *Achara*, *Carachara*, *Spartada*, *Emete-
linda* quinquaginta Cameli, Opio onerati, singulis annis in Per-
siam, Indiam, Europam, aliasque exteris Regiones, & per u-
niversum Turicum Imperium illud important: itemque ex *Aden*,
aliisque locis prope Erythraeum, seu Rubrum Mare in *Arabia*
sitis, exque *Cambaja*, *Mandou*, *Chitor* Oppidis sinui Maris A-
rabici, Golfo de Cambaja dicto vicinis. GARCIAS l. c. ex *Persi-
de KAEMPFARUS* *Anoen. Exot. Fasc. III. Obs. 15.* ex *Java Ma-
jore* Orientalis Indiae Insula *GEORG. ANDREAS Itiner. Indic.*
Lib. I. Cap. 10. memorant. Nusquam tamen hodie majori
copia in *India* colligitur, quam in Insulis *Bengalensis*, quod
Incolae Orientalis Indiae conservant, & rarissime, si unquam,
ad nos defertur: etenim nulla per Indiam merx majori lucro
a Batavis divenditur, quam *Afiun*, quo carere assueti non pos-
funt,

sunt, nec potiri, nisi navibus Batavorum ex *Bengala & Charromandela* advecto. *Kaempf.* l. c. Nostrum autem *Officinale Opium* praecipue ex *Regione, de Levant dicta*, acquirimus, quod & in *Indiam* adportant.

AMERICA quod *Opium* producat, nulla certa prostant documenta.

Quod *EUROPAM* concernit, *Apuliam, Italiam, Læ Puglia,* quae est Regio ex praecipuis Regni Neapolitani, Venetiis *Opium* suppeditare affirmat *AMATUS LUSITANUS* Lib. IV. in *Diose. enarr.* 68. Aliter, quod sciam, nusquam colitur; sed *BELLONIUS* l. c. in ea est sententia, quod, si *Papaver* in *Europa*, videlicet *Gallia, Germania, vel Italia* coleretur, *Opium* perinde colligi posset, atque in *Asia*, modo necessaria cura in eo legendo adhiberetur; nam *Asia*, inquit, *non minus frigida est, quam ipsa Gallia:* quod etiam magna contentione afferit *Quercet. Pharm. Dogm. restit. Cap. 25.*

Verum enimvero, si dicamus, quod res est, & Experienciae immutabilis consulamus oracula, prompte fateri debemus, ab illa minime hanc probari sententiam; etiam si enim *Papaver nostrum* gaudeat viribus *Anodynisi*, *Narcoticisque* minime certe contemnendis, nequaquam tamen tantae esse efficaciae, quantae *Opium* adhuc usuale, quod aliunde ad nos delatum venditur inter merces exteris, omnis omnino docet observatio: hinc, si capita minoris sint efficaciae, tuto satis, opinor, concludere possum, quod, licet ponatur *Papaver hisce in locis Opium* etiam praebere (quod facile concedere possemus, quia aliquando capitibus *Papaveris* adhaerentem videsmus succum inspissatum, odore, sapore, colore, *Opio* aliquo modo similem) tantas non mereatur laudes.

Quantopere enim varietas Regionum, Coeli, atque Soli vires Vegetantium nunc exaltet, nunc minuat, nunc vero depravet, non opus est, ut longis enucleemus demonstrationibus: haec in *Vinis, & quamplurimus Vegetabilibus, imo & Animalibus*, diversis ex Regionibus allatis, meridiana luce clarius apparent. An autem hoc a majore, minoreve Aëris calore, humores plantarum magis, minusve concoquente, viresque sic acuen-

acuente; an ab ejus majore, vel minore pressione; an vero ab effluviis ex Solo, & Aëre alilibus aquis intermixtis, & sic nutrimenta Herbarum mirum in modum alterantibus; an deum ab alia dependeat causa, Doctioribus solvendum commendando.

XX. TEMPUS, quo colligitur *Opium*, exacte definiri nequit, quoniam ob capitum impar incrementum, & magnitudinem aliquoties in eodem arvo instituenda est collectio: praecipue tamen celebratur Mense *Majo*, & *Junio*, quando capita maturati propinqua sunt; verum, ut illa magis grandescant, & succo impleantur majoris efficaciae, Rustici in plantis nimium ramosis superflorum capitum amputationem praemittere solent. Porro ad hoc negotium eligitur *Tempus Antemeridianum*, cum ros in illis exaruerit, & Coelo existente sereno, ut succus per calorem totius diei citius inspissari posset, & ne per humiditatem liqueficeret, sicque facta pro parte irrita forent.

XXI. Triplex potissimum occurrit apud Auctores *Succi* hujus acquirendi MODUS.

Primus est, si ex capitibus valde maturis, & succosis sine ulla praegressa incisione per modum Lachrymae sponte exit, & extra ambitum capitis a planta separatur succus albus, lacteus, qui Solis calore in massam tenacem condensatur, & quem omnibus *Opii* speciebus meliorem esse censet POMET *Hist. des Drogues*. Quidam scribunt, quod hoc *Opium* sit coloris albi, de quo postea.

Secundus Modus, quem jam exhibuerunt *Diosc.* Lib. IV. Cap. 65. *Plin.* Lib. XX. Cap. 18. aliique Recentiores, inter quos omnium exactissime KLAEMPFERUS, in sequentibus consistit. Cortices capitum externos ab una parte quinque, vel sex locis leviter scarificari jubent scalpello, vel ope cultelli quintuplici acie instructi, qui una Sectione quinque simul infligit vulnuscula longa, & parallela; quo fit, ut succus excellentior, subtilior, magis elaboratus, quasi spirituosus plantae, albicans, & lactescens ex tenellulis canaliculis, ac cavitatibus membranaceis leviter incisis sponte per circulationem protrudatur

datur, & effluat, reliquis humoribus crassioribus, & minus coctis in vasis majoribus existentibus; quem succum parum inspissari sinunt, & postero die scalpro ligneo, vel ungue abstersum in vasculum, abdomini alligatum, colligunt; tum altera capitum facies eodem prorsus modo, & in eundem scopum vulneratur, cavendo tamen, ne liquor vestium affrictu deradatur, & pereat, unde retrocedendum esse monet *Diosc.* l. c. succus tunc hac ratione collectus, vel mora in umbra inspissatur, vel per Solis radios evaporatur, vel denique pauca aquae copia humectatus lignea, & crassa spatha ad Solem, vel supra ignem, (quod tamen non adeo probatur) tam diu agitatur, donec exsiccatur, & picis tenacitatem, ac nitorem acquirat; dein manu nonnihil pertractatur nuda, & demum Propolae in foris, & quadrivii sedentes illum, in Cylindros breves rotatum, venalem exponunt. Hoc est *Opium verum*, & *genuinum*, stricte dictum, quod, ut notant Auctores, Incolae non patiuntur, ut ad extraneos Populos vehatur; hinc & nos eo destituti sumus, sive id fiat ob eorum invidiam, vel avaritiam, vel pigritiam. Porro haec massa saepe numero non tantum aqua, verum etiam melle, additis variis Aromaticis, Croco, vel Ambra, subigitur; unde etiam pro varia Aromatum admitione varia fortita est nomina. Haec *Opium colligendi Methodus* satis eleganter sequentibus carminibus habetur apud MACRUM in Capite de *tribus Papaveris generibus*.

*Exuviis teneris Opium faciunt capitellis,
Incisa leviter summa cute, lacque, quod inde
Desfluit, excipiunt coeleis, succumque reservant,
Antidotis multis aptum, variisque medelis.*

Tertius & Ultimus modus est, quod, vel quando nihil amplius sponte effluit, vel capita integra, folia, imo totam plantam contundant, vel tantum infusione aquae macerent, vel praegressa maceratione per brevem moram coquant, dein torculari subjiciant, & succum exprimant, vel secundum alios iisdem supra filtrum repositis aquam eandem septies, vel octies

octies superfundant, qui liquor apud Persas celebris, *Coconar* dictus, admixtis pro cuiusque placito, quae saporis gratiam conciliant, a Bibacibus propinari affatim per intervalla solet; dein succus, quo cunque modo extractus, evaporatione condensatur in densam, atque gravem substantiam, & tandem, ut facilius tractari, & aliorum portari posset, placentas varias hujus succi sibi invicem apponunt, & in variae magnitudinis frusta redigunt, interpositis, & circum totum frustum convolutis foliis Papaveris, aliarumve Herbarum. Hoc vocatur proprie *Meconium*, quod nostrum est *Officinale Opium*. Hunc etiam modum optime descripsit idem **MACER** l. c.

*Sunt, qui contundunt cum Lacte suo capitella,
De quibus expressum siccant in Sole liquorem.*

XXII. Opii SPECIES differunt pro diversitate

1°. *Regionum*, quae illud exhibent; sic *Garc. l. c.* ad tres reduxit species; 1°. ex *Cairo* allatum, quod albicat, & magni est pretii; 2°. ex *Aden*, aliisque locis Erythraeo mari vicinis, quod nigrum, & durum est; 3°. ex *Cambaja*, quod mollius est, & magis flavescit. Hodie autem dividitur in *Indicum*, & *Turcicum*.

2°. *Coloris*, aliud scilicet, ut quidam volunt, album est, vel ex luteo pallens, aliud flavescit, aliud ex rufo nigrat.

3°. *Modi colligendi*, datur enim *Opium*, datur & *Meconium*, longe ignavius *Opio*.

4°. Tandem *Temporis*, quo colligitur, quia primae collectionis *Opium* ex testimonio *KAEMPFERI* praestantius est, & graviori pollet cerebrum demulcendi facultate. Secunda collectio succum promit priori, ut virtute, ita & pretio, inferiorem. Sunt, qui & tertiam instituunt, quod exiguae virtutis est.

XXIII. Si indeoles Fundi, Tempestates anni, Modus colligendi, praeparandi, asservandi non different, Hominumque sinceritas constaret, ipsumque *Opium* vetustate non immutaretur, anxie in genuinum inquirere supervacaneum foret; verum, cum

cum nullis horum plena sit adhibenda fides, summe necessarium est Praxin Medicam exercituro noscere quosdam Charakteres, quibus verum ab adulterato, legitime praeparatum ab imperfecto, vetustum a recentiori sciat distinguere, ELECTIO-NEMQUE securiorem in usum vocare. Hi Characteres optime indicantur ab antiquo, & egregio Materiae Medicae Scripto.
re DIOSCORIDE. Varias fraudes, differentiasque illum comprehendisse manifesto sunt indicio, quod pariter in praecedentibus sparsim indicavimus. Ille itaque inquit Lib. IV. Cap. 60.
Praestantissimum est Opium densum, & grave, odoratu Soporiferum, gustu amarum, quodque facile aqua diluitur, laeve, candidum, neque grumosum, quodque inter colandum neque ut Cera coit, densaturve, sed Soli expositum diffunditur, & ad lucernam accensum minime atra, obscurave lucet flamma, quod denique, postquam extinctum fuerit, suam odoris vim etiamnum conservat.

Densitas, & Gravitas signant homogeneitatem massae, cum ex contrariis conflatae ut plurimum porosae sunt, ob principia arctiorem unionem recusantia.

Odor Soporifer ipsius plantae naturam ostendit, quae subtilissimis effluviis emissis organa sensus blande afficit, caeteris partibus. Croco quidem hoc etiam proprium, verum nulla in eo est amarities, nec facile quis Croco illud adulterabit, cum majoris sit pretii, & flavedine illud tingat.

Facilis in aqua Solutio duo manifestat, 1°. quod non sit inventeratum, 2°. quod Resina non sit admixta.

Levitas, sine Asperitate, & Grumis denotant, corpora Resinosa, magis cohaerentia, intermixta non esse; haec enim in selectione, aut spontanea coalescentia Asperitatem demonstrant.

Candor idem significat; non enim colorem album, sed sinceritatem, per hoc vocabulum intelligit Auctor, quia statim, ac succus iste lacteus insolatione inspissatur, fuscedinem contrahit, vide Kaempf. l. c. nisi velint intelligere lacteum istum succum nondum debite inspissatum; sed iste qualitatibus praedictis, utpote inflammabilitate facili, minime convenit. Metaphorica itaque vox est. Vide hac super re POMET Hist. des Drogues Pag. 81. & 82. qui in hanc rem inquisivit sedulo, & dicit, se habere li-

teras a Personis, qui diu in Urbe Cairo morati erant, quae docent, quod omne *Opium* ibi, quod Turcae usurpantur, coloris sit fusti.

Dum inter colandum ut Cera coit, signum est, aut ipsam Ceram fuisse admixtam, aut quasdam Resinas aqua refrigerata concrescentes: minus tamen fidelis videtur hic esse Character; plurimi etenim succi inspissati inter colandum non ut Cera coeunt, uti succus Liquiritiae, &c.

Liquefactio ad Solem magnum certitudinis argumentum praebet, cum plerique, ne dicam omnes, succi non Resinosi ad Solem inspissentur, hic vero liquefacit ob oleum in eo abundans; sed haec proba certis quibusdam accidentibus limitatur, 1° ut calor Solis sit 70. graduum, qualis solet esse sub Tropicis, tempore meridiano, aere sereno; 2° ut in tenues lamellas sit incisum, nec multum inveteratum. Ceratis quidem hoc quoque proprium est, minime vero haec cum Characteribus recensitis ante quadrant.

Flamma lucida omnium Piceatorum absentiam indicat, quae obscuram flammatum cum fumo denso producunt. Varios succos inspissatos in aqua solubiles examinavi, quoad hunc Charactrem nullum deprehendi, qui tam facile accenditur, ac ipsum *Opium*, & qui tam lucidam, aequalem, sine scintillis producit flammatum.

Odor in exusto residuus Opium quidem refert, sed multum qualitate odorifera imminutus, phlogisto magnam partem in flammatum resoluto. Hoc autem signum minus tutum est, nam massa adulterata, dummodo *Opium* basis maneat, in residuo odorem *Opii* relinquit. Ex eo vero concludere licet, quod, quo major in residuo odor, quo magis sincerus, eo magis *Opium genuinum* censendum sit, & contra.

Omnia praedicta Experimenta a DIOSCORIDE instituta fuisse, nemo inficias ibit; rationes autem singulorum subiicit ob concinnum scribendi morem, antiquis Sapientibus familiarem.

Idem paulo post subjungit, quomodo cognoscatur *Opium Glaucio*, *Lactucae sylv. succo*, vel *Gummi adulteratum* esse. 1° *Glaucio* fucatum, inquit, in dilutione Croci colore redit;

dit: 2º *Laetucacio succo fictum*, exiliter spirat, & asperius spectatur: 3º *Gummi vitiatum splendescit*, & infirmum est. Nec desunt etiam, qui eo dementiae devenerint, ut Adipem ei admiserent.

XXIV. Cum itaque differentiae *Opii* multiplices sint, praefstat Medicum massam *Opii* dictis Characteribus selectam, pro tempore diuturniori sufficientem, in vase mundo, loco temperato, heterogeniis effluviis non vitiato asservare, cuius vires habeat exploratas, ut illud securior inter Aegros suos, in quibus *Opii* usum salutiferum agnoscit, dispensare possit. Medicum enim optimum saepe spe frustrant Medicamenta non sincera: hinc etiam Draisticorum praeparationem nemini confidendam esse, dicere solebat Clarissimus BOERHAAVIUS, nisi de ejus scientia, & sinceritate constaret.

CAPUT QUARTUM

Opii Analysin Chemicam continet.

XXV.

VARIA Chemici instituerunt Experimenta, quae tamen pa- rum utilitatis adferre videntur. Horum quaedam ipse institui, quae sunt sequentia

XXVI. Selecti juxta dictos Characteres *Opii* ʒij. in tenues lamellas discidi, per se ex Retorta destillavi:

1º. Leni igne prodiit liquor limpidus ad ʒij. non efferves- cens cum Acidis, vel Alcalicis, *Opii* fragrantiam spirans, non tamen ita efficax, ut *Opium ipsum*; ad guttas enim vij. vel viij. assumtus vix somnum induxit.

2º. Aquoso humido educito, ignem gradatim auxi, alio Re- cipiente applicato, collegi liquoris paulo spissioris, ad flavedi- nem vergentis, turbiduli, manifestius odorem, & saporem *Opii*.

referentis grana xxxiv. cuius tres guttæ ne quidem somnum induerunt, vasculo per dies odorem reservante, quod signum est, oleosae substantiae aliquid simul adscendisse.

3°. Igne aucto, adscendit liquor ad pondus ʒij. ex fusco niger, crassior, turbidus; quiete sedimentum consistentius, inaequale, flavescens, deponens; reliqua parte turbida constanter permanente; cum Acidis effervescens; odoris minus sinceri, foetiduli, lene Empyreuma redolentis.

4°. Adscendit liquidum quantitatis ʒj. longe obscurioris coloris, & spissioris consistentiae, in quo tamen guttulae quae-dam olei pellucidi, vix separandi, intermixtae conspiciebantur, facile motu reliquae massae miscibiles. Odor hujus producti erat magis Empyreumaticus, multo penetrantior, & latius in conclavi se diffundens. Liquidior pars quiete supernatabat, cum Acidis effervescebat, & cochleari argenteo excepta elegantissimam Tincturam rubicundam prae se ferebat; cuius tamen vires nec in me explorare ausus fui, neque in Animali illud utile existimavi, cum nemo tam ingrata palato offam Aegro vellet offerre, praeprimis quoniam illud evitare possumus, dando *Opium* in substantia, vel solutum. Igni exposita flammam non concepit, nisi quando pene consumpta esset, quae tamen mox fuit extincta, remanente picea, durissima substantia, cochlear obducente, ac si vernice adhaerentissimo, splendente obductum fuisset; aqua calida tamen facile mundabatur.

5°. Cum intensiori vi ignis nil amplius adscenderet, vasis refrigeratis deprehendi in Retorta Carbonem nigrum, ʒj. cum gr. x. pendentem, splendentem, levem instar spongiae, levi flatu oris mobilem, licet ovi magnitudinem superaret, omnis odoris, & saporis expertem, vehementi igni impositus ignescit, & per duas, tresve horas calore continuato, nondum penitus, sed tantum externe in calcem mutatus erat, quae saporem subsalsum prae se ferebat. ʒj. hujus Carbonis Cani data nullum sensibile Phaenomenon edidit; proinde non est, ut in sale ejus fixo vim Anodynam quaeramus. Praeter hoc Experimentis his nil didici Medico utile.

XXVII. *Solutiones* dein quasdam institui, & variis menstruis obedire vidi. In Aqua simplici, Destillata, Vino, ejusque Spiritu simplici, Aceto communi, & Destillato facile solvebatur, viribus medicatis suis hos liquores saturatissime imbuens, minus Spiritum Vini Rectificatum, longe minus Alcohol, Ol. Therebinth. & liquorem Salis Tartari, in quo magis solidecere videbatur, omnium tandem minime oleum amygd. dulc. quod nullam inde in colore, sed parum in sapore mutationem acquirebat: hinc Viri docti, si externe *Opium* in Linimentis prescribunt, non sine ratione illud tantilla quantitate Aquae cujusdam Destillatae prius solvi jubent. Quaenam autem harum omnium optima sit *solutio*, BoERHAAVIUS nos docuit in *Chem.* Tom. II. Proc. 61. Si in salino-saponaceo, inquit, *Vegetabili omnis virtus plantae unice haeret*, decoctio in *Aqua melior*, quam in *Alcohol*. *Opium Aqua pura solutum optimum*, dein in *Vino*, potesta in *Spiritu Vini*, sed semper minus bene, quo *melior Spiritus*. At, licet omnium optime in *Aqua* solvatur, illud tamen habet incommodum, quod non diu sine corruptione possit assevari: praeterea menstrua haec variari oportet, prout variant indicationes; sic in casu Alcalescente Calido preferrem solutionem ope *Aquae*, vel *Aceti factam*; in Temperie vero Frigidiori, & Phlegmatica si indicetur *Opii usus*, in *Vino* cum Aromatibus, uti est Laudanum Liquidum Sydenhami, Laudanum opiatum, massa Pilularum de Cynogloss. de *Styrace*, vel in *Spiritu Vini simplici*, vel semel Rectificato solutum magis convenire puto: in substantia tamen ad judicium Naturae ipsius, simplicitatis amantissimae, omnium praestantissimus mihi videtur ejus esse usus, quoniam tunc omnia ejus principia, prout benigna Natura illa nobis offert, simul sumuntur; hinc apparent, quod omnes *Opii correctiones*, de quibus nonnulli adeo clamitant, quasi per illas omnis ejus venenositas adimeretur, non magni sint facienda; etenim nil nisi verae sunt castrationes, quatenus vires ejus imminuunt, enervant, atque depauperant.

XXVIII. Dixi in *Alcohole minus dissolvi*, nihilominus tamen Tincturae per illud, ut extractae, portionem *Aquae infundi*,

di, quae mox lactescens magis, vel minus profunde, prout fortius, vel debilius instillatum erat, mox vero superficiem petens nubem crassam, albicantem, brevi fuscescentem, infinitis bullulis conspicuam formavit. Simul eodem tempore in vitro alio Tincturam Benzoes Aquae affudi; in principio eadem in utroque, colore excepto, erant Phaenomena, verum haec brevi in grumos, sensim ad fundum descendentes, facescebat; nuba vero fusca in alio pertinacius permanente, post tres, vel quatuor horas descendere incipiebant innumerae striae albicantes cum globulo quasi in parte inferiori annexo; altero die notabilis satis quantitas specie rari rubescentis limi, qualis subsidere saepe solet in Urina Scorbucorum, in fundo colligebatur, & aqua illa rufus fere pellucida erat, nisi quod colore leviter stramineo in parte superiori tincta esset, odorem, & saporem manifestum habens. De Sedimento hoc, quid proprie sit, & quas vires habeat, judicium adhuc suspendo, ulteriori examini relicturus.

XXIX. Cum Acidis tractatum nullum salis Alcalini praesentiae phaenomenon exhibet, sic e contra, Alcalica si admisceantur, nullum etiam, Acidum quod adsit, praebent indicium. Constat proinde, illud nec Acidum, nec Alcalinum esse, sed corpus singulare neutrum; porro, si Acidum, aut Alcalinum esset, alterutro vis ejus augeri deberet; nam Philosophi dicunt, *additum tale suo tali facit majus tale*; quod neutquam fieri testantur Cl. DE GORTER in *comp. Med. Tract. LVI. §. 92.* & JOH. NIC. PECHLINUS de *purg.* pag. 118.

XXX. Forte quis haec omnia per Experimenta in Animalibus proprius examinata, & magis confirmata desiderat; verum, quoniam haec res plus otii, quam quo nunc fruor, requirit, potius hisce supersedebo; praeterquam quod non facile ratione virium Medicamentorum ab Animalibus ad Hominem concludere possimus. Hoc evidenter videmus E. G. in *Cicut. Aquatica*, quae post horrenda Symptomata Hominibus, & plurimis Animalibus certissimam mortem inducit, Canis vero Molossus, teste WEPFERO de *Cicut. Aquat.* pag. 172. tertio die post assumptam Cicutam iterum per vicum cursitavit, ac

Si ne vel minimum ab illa passus fuisset, imo Caprae illa pa-
scuntur sine ulla subsequente noxa, uti refert ISIDORUS apud
GESNERUM Lib. *De Quadruped.* pag. 269. Sic etiam Amyg-
dalae amarae in Ciconia, Columba, Fele, &c. agunt instar
Veneni, vide eundem ibid.p. 298. Homo e contrario, quantum
lubet, eas sine notabili periculo comedit. Quin etiam si con-
cederetur, quod *Opium* in Animalibus ageret, ut in Homine,
tamen non tanta utilitas in Medicina, quam quidem speculan-
di occasio inde redundaret.

CAPUT QUINTUM

De Temperatura Opii agit.

X X X I.

An *Opium* calidum, frigidumve sit, hic non determinabo,
sed potius in dubio relinquo; nec puto hoc indagari Me-
dico utile esse, cum ex asserta hac, vel illa qualitate praedo-
minante effectus neutquam praescire possit. Quid enim juvat,
me scire Plantam, aut Lapidem, aut Metallum esse calidum,
vel frigidum, si effectus inde in corpore producendos deter-
minare nescivero. Magno quidem molimine quilibet opinionem
suam stabilire contendit: proposita tamen argumenta examinata
scientiam generant nullius, ita ut in fine nil plus sciamus, ac
in principio. Ponamus *calidum* illud esse in quarto gradu, jam
simile erit Piperi, Zingiberi, Euphorbio, & ejusmodi aliis;
eosdem effectus proferret; & in frigidis pituitosis, virium lan-
guore primarium foret indicatum, in quibus tamen *Opium* ju-
re merito exulat: si vero ex opposito in quarto gradu *frigidum*
dixeris, cogēris concedere, paucorum granorum massam praevale-
lere calori universi corporis, & conglaciare omnia nostra

D

flui-

fluida, quod nec libra glaciei praestabit; imo sequeretur tantum Piper, & potum Theae, Croco maritatae, calide affatim haustum fore ejus Antidota, cuius contrarium Experientia docet. An insensibilis particula succi Viperini ingentem Taurum interficit, quia calidus est? An effluvia Cantharidum, forte per 30. annos asservatarum, in corpus a venis resorpta Inflammationem Renum inducunt ob temperiem calidam? Concesso ita esse; cur alia viscera immunia relinquuntur? Multa similia occurunt, quae nec frigiditati, nec calor adscribenda sunt. E. G. modica quantitas Vitri Antimonii integrum Vini dolium facultate Emetica imbuens; Susurrus lenis foliorum arboris Somnum inducens; item profunda rei cognoscendae contemplatio in Somnum desinens; idea rei horridae Nauseam, Vomitumque movens; aliaque quam plurima, quae recensere nimis longum foret.

XXXII. Inest igitur iis *Qualitas* quaedam *occulta* agendi minime a qualitatibus ipsis dependens, minime etiam inseriens imaginationi Hominum, sed agens ex sua indole, & proportionaliter subiecto actionem recipienti; haec duo si noscerentur, Ars Medica fere, si non in totum, absoluta foret. Qualitatem hanc occultam Recentiores dicunt *inane* esse *nomen*; arguunt antiquos Sapientes, quod eam in Scientiam Medicam introduxerint, atque eam inde conjecturalem effecerint; si tamen interrogantur, rationem, & modum agentis ejusmodi Draftici remedii ignorare deprehenduntur, nisi fingendo sese extricare conentur; sed hoc aequem *inane* est *conamen*, ac facultas occulta *inane nomen*.

XXXIII. Quum tamen Elementa corpus nostrum constitutientia hoc feliciori seculo recentiorum Anatomicorum solertia penitus cognita sint, non desperamus de cognoscendis *Opii* viribus, & modo agendi, ut occulta ejus virtus, si non ex toto, saltem ex aliqua parte, fiat manifesta.

CAPUT SEXTUM

*Partes corporis, in quas Opium, & quomo-
do agat, disquirit.*

XXXIV.

Corpus nostrum constat ex solidis, & fluidis. Solida sunt Systema vasorum, nec receptacula excipio, cum quoque ex vasis adunatis conflata sint. Fluida sunt, quae in iis mouentur, & mutantur, ut Sanguis, Serum, Lympha utraque, & Fluidum nerveum; omne itaque actuum, sive inquilinum, sive adventitium in haec duo agat, necesse est, scilicet in solidum, aut fluidum, aut utrumque simul, quod puto clarius constare, quam ut quis demonstrandum postulet. Opportunum igitur nunc erit disquirere, in quas partes *Opium* agat, sive interne sumtum, sive externe applicatum fuerit.

XXXV. Paucis tamen praemitti debet, qua ratione fiat *Sensus*, qua partium mutatione, & quarum. Perceptionem illam in Systemate nervoso Animalitati inserviente contingere, nemo dubitat: *Sensus* siquidem abolitus a nervo descisso, aut destrueto id evincit. Praeterea fluidum quoddam simplicissimum per nervosos canales moveri Cl. BOERHAAVIUS in Tractatu de *Musculis* demonstravit, & rationes evidentissimas, ab eo ibi allatas, nemo adhuc invertit, & cum ipsam veritatem fistant, constabunt perennes.

XXXVI. Dubium nunc est solvendum, an causa *Sensum* efficiens afficiat ipsum nervum? an vero fluidum in iis contentum? an vero utrumque? Elevandum hic est paululum perscrutandi studium, non vero supranaturale *Physicum*, quod Scholae Stahlianae proprium est, nimis alte sapienti, quae

Menti omnia adscribit; illa enim objectum Medicinae non est, sed Vita Hominis, Sanitas, Morbus, Mors, & Causae eorum.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Ultra quos, citraque nequit consistere rectum.*

Dico Sensem non fieri per nervum, in quantum est stamen solidum; docet id Paralysis completa, nervo integro, sed obstruēto, sive per Εμφεάξιν, sive per Στροχωγίαν, sive per Θλίψιν id contingat. Neque per tremorem, ad Sensorium Commune delatum, fieri potest; nervi quippe nec recti, nec liberi, nec tensi adeo sunt, ut tremor ille communicari possit. Facultas igitur exquisite sentiendi fluidis nervosis adscribi oportet, quando unus, vel plures globuli affecti per omnes intermedios motum ad principium usque communicant, ut Mens eo conscientia reddatur Objecti agentis: veruntamen inde non sequitur, nervi extremum ab Objecto affectum Sensem non efficere; in qua cunque enim parte ejus contactus fit, fluidis in eo contentis motum imprimit, qui, ut ante dictum, per globulos intermedios ad Sensorium Commune defertur. Hac ratione nervus etiam est Sensationis instrumentum, non vero ex sua natura, sed in quantum mobilissimo liquido modificationem acceptam imprimit.

XXXVII. Intellecto nunc quomodo Sensus fiant, me conferam ad partes, in quas, & modum, quo *Opium* agit, explicandum. Partes corporis *Opii* actionem recipientes esse easdem, quas Sensibus inservire statim innuimus, appareat satis ex eo, quod *Opium*, si Sensus pro tempore non tollat, saltem magnopere illos imminuat, atque adeo illud in Liquidum nervis contentum actionem suam præcipue exercere debet; sed qua ratione?

XXXVIII. Nil me hic juvat ejus Temperatura, an calidum, aut frigidum sit; nil Analysis Chemica. Quidam, inter quos etiam optimi Medici, affirmant *Opium* agere ut *Vinum*, eo quod effectus *Vini* liberalius sumpti in non assuetis, & *Opii* appareant iidem; nempe Mentis Perturbatio, Senuum Vacillatio,

Iatio, Stupor, Somnus profundus : sed minime argumentum hoc probat, *Opii* actionem eandem esse, ac *Vini*; nam diversæ causæ saepe numero eosdem effectus producere possunt, ut docet obstrœctio tam nimio motu, quam a quiete inducta: quis proin motum, & quietem similia esse inde concludet? Praeterea Gustus insignem deprehendit differentiam, gratum scilicet in *Vino* saporem; nauseosam in *Opio* amaritatem: Olfactus blandam fragrantiam in *Vino*; nil simile, sed nescio quid ingrati in *Opio* percipit: Sapor, & Odor *Vini*, absente objeto, mox disparent; *Opii* tenacissime illis organis, eo remoto, inhærent: Narcotica vis *Vini* leni calore omnis adscendit; *Opii* vero virtus gradu ebullientis Aquae maximam partem in residuo manet, ut mihi innotuit, quando *Opium* cum Aqua destillarem, quod etiam confectio Laudani Opiati confirmat: Motum humorum *Vinum* accelerat, pulsus efficit frequentiorum, fortiorum, febrilem; *Opium* e contrario pacatiora reddit omnia: *Vinum* spirituosiori sua parte minores canales arcat, fluida tenuiora coagulat, ut demonstrat Albumen ovi Alcoholi admixtum ex fluido in substantiam albam solidescens; Liquor ex *Opio* sincera destillatione eductus potius fluidius illud reddit, ut Experimento didici: *Vini* haustulus in virium defectu plerumque est optimum Cardiacum, quamobrem & APOSTOLUS suadet TIMOTHEO in Epist. I. ad eum data cap. v. vs. 23. Ne amplius Aquam bibe, sed exiguo Vino utere propter tuum stomachum, & crebras infirmitates: quod etiam ostendit quotidiana Experientia in Hominibus diuturnioribus Morbis enerbatis, laboribus fatigatis, Senibusque; ubi contra nil levannis, quin potius nocumentum vires dejiciendo *Opio* adferretur. Longe igitur alio modo *Opium* in nobis agit, ac *Vinum*.

Alii putant, quod subtilia quaedam Miasmata *Opii* cerebro communicentur, & inibi motum in vasis augendo nervorum compressionem efficiant; quod probant ex Animalibus, *Opio* ingestis, in quibus ventriculum inflammatum, & cerebri vasa sanguifera admodum plena offenderunt, ut videre est in MEAD Tract. de Venenis pag. 133. Hoc autem Experimentum, paulo severius examinatum, non demonstrat, quod

erat demonstrandum; dederat nimirum Auctor Cani 3j. *Opii* unde vehementer vomuit; repetivit dosin, qua Canis obdormire orsus est, sed illico exilit convulsus, & caput Spasmis Convulsivis indesinenter agitabatur, donec fuerit extinctus: hinc mirum non est arterias in cerebro sanguine turgidas fuisse, nam hoc in sano Homine, nonnihil Plethoraico, a vomitu violentiori facile contingit, ut Auctores Practici observarunt, & inde cautelas optimas deduxerunt; nempe sanguinolentis venam ante vomitorium secandam esse, ut concussione excitata praecaveatur vasorum ruptura intra cranium. Itaque effecta illa, post *Opium* assumptum producta, non immediate ipsi *Opio*, sed potius convolutionibus, vomitibus violentis adscribenda esse videntur; praeterea non est quantitas *Opii* proportionalis, sed potius irrationalis, a qua nulla regula Medica elici potest; hinc tale Experimentum nil probat, nisi quod *Opium*, irrationaliter datum, possit occidere. Tandem contrarium hujus sententiae patet ex pulsu placidiore, unice motum sanguinis Medico indicante, post usum *Opii* tempore dati.

Alii denique mucilaginosae *Opii* substantiae vires ejus adscribunt; sed quomodo, quae, una millionesima pars grani, & forte minus, ab *Opio* emanans, & odore Somnum inducens, mucilage nervos per totum fere corpus subinde patientes mulcere potest? licet maxima quidem sit imaginationis vis, tantum tamen abest, ut hoc concipiatur.

Aliam itaque rationem, quae, licet non Mathematica, & Geometrica gaudeat evidentia, omnium tamen ut probabilissima mihi arrisit, demonstraturus propositam viam ingredior. Effectus, quos *Opium* producit, non crassa ejus substantia, sed subtilissimae ejus particulae praestant; nam illae solum Olfactus Organum afficiendo, pertinax quandoque Pervigilium in salutares Somnos commutarunt, vide apud ETTMULLERUM in Diff. de *Opii vi Diaphor.* cap. II. §. 29. quod non efficiunt stimulando, nam omnia inassueta stimulatione Sternutationem producunt; *Opium* vero excitatam sicut. Quo ergo modo id fa-

faciunt in Organo Olfactus? Processus mamillares infinita stamina nervosa per Organum Olfactus diffundunt, quae in membra Schneideriana, in sex sinibus expansa, fere nude jacent; hinc facillime ab effluviis odoriferis ad interiora cavernarum penetrantibus afficiuntur; effluvia autem *Opii* penetrantissima sunt, & Saponacea sua indole perspirabili, & circumcirca nervos exhalanti valde miscibilia, non tantum globulos ultimos, sed etiam ipsa solida stamina, qua patent parte, afficiunt, cujus rei Mens conscientia reddita immemor fit aliarum actionum Animalium, sive id fiat ab blandiendo, sive alio modo; hinc & Spiritus eo non mittit tanta copia, aequalior fit eorum motus, quies actionum Animalium, & sic tandem Somnus universae Animalitatis oritur. Eundem effectum videmus in Auditu, qui aequa, ac Olfactus tactu nervorum percipitur; si nunc radii sonori in fibrillas nervi auditorii blandissime, & subtilissime agunt, uti fit in Musica blanda, languida, & Susurro leni arborum foliosarum, Mens eodem fere modo, ac in Olfactu, immemor redditur alias actiones Sensibus inservientes perficiendi.

Quantum autem effluvia medicata, Organo Olfactus applicata, valeant non tantum in nervos Animales, verum in Vitalitatem ipsam, ostendunt gratissima illa effluvia panis de furno calentis, quibus praedebilitate, & senio moribundi resecti vitam ad horas, & dies prolongant. Effectum hunc ipse DEMOCRITUS in extremis cum morte luctans exemplo probavit, docentque illustriorum Medicorum observationes. Ut autem haec effluvia se habent ad resuscitandam Animalitatem, sic *Opii* sese habent ad inducendum Somnum. Dein etiam probabile videtur, quasdam moleculas ad interiora resorberi, & lege circuitus ad cerebrum ipsum demum deferri. Quomodo autem Spirituum influxum impedian, me non posse exacte determinare lubenter agnosco. Attamen hae moleculae primi Somni causa non esse, verum profundiorem & facere, & continuare ulterius posse videntur.

Quae haec tenus de efficacia *Opii* externe naribus applicati dixi, de usu externo in alio corporis loco, & interno intelligendum est.

est. Hoc vero notandum, illud introsumptum certiores, & manifestiores effectus edere, cum ad plurium nervorum superficiem, extremumque perveniat, & copiosius quoque a venis resorbeantur particulae ejus subtiliores. Actio haec quamdiu duret, recte dici nequit, quia illud variat pro varia corporis constitutione, & temperamento; in Cajo quippe ad sex, in Titio ad tres, in Sempronio ad quatuor horas extenditur.

Hisce praemissis sponte quasi manu ducimur ad explicandum, in quibus affectibus *Opium* cum salute Aegri tuto praescribi possit, & in quibus nocumenta adferat, quod ipsa Natura Conservatrix a Medico Ministro suo unice exigit.

CAPUT SEPTIMUM

Vires, atque Usum Opii exponit.

X X X I X.

Ab omni fere aevo inter Medicorum Filios maximi momenti, & utilitatis de *Opio* agitata fuit Quaestio; cum quidam illud ad coelum usque multis encomiis attollant, alii vero contra ad *Venenorum* genera relegent, & magna contentione e Medicina exulare velint: hinc peropus esse existimavi in ipso hujus Capitis initio inquirere, quid *Venenum* sit? & num tale etiam *Opium*?

Venenum itaque est omne id, quod pauca quantitate datum aut Vitam aufert, aut summum discrimen adfert, excitando in corpore vehementia Symptomata. Si nunc *Opium* consideremus, quod, quando quis alterius Vitae insidiator ei occulte porrigit tria, quatuor, quinque, vel plura ejus grana, his ille infectus in Somnum perpetuum incidat, profecto hoc in casu

casu tam in manu porrigentis, quam in corpore assumentis *Venenum* jure merito dici potest, & quidem horrendum eo magis, quod ejus nesciatur Antidotum, in pluribus aliis *Venenis* cognitum. Verum enimvero quamquam haec ita sint, potiori tamen jure *Medicamenti*, quam *Veneni* nomine insigniri meretur, cum in summis malis omnibus remediis palmam facile praeripiat, nec unquam Antidoto egeat justo tempore, & debita dosi exhibitum. Hinc Magnus SYDENHAMUS Pag. 186. non dubitavit, Medicinam, *Opi* destitutam, mancam pronunciare, qui loco citato commoti quasi animi impetu multiplices ejus laudes recitat. RIVERIUS etiam passim in Praxi illius triumphantes in multis morbis, contra omnia molimina rebellibus, vires multoties expertas commendat. Atque adeo evictum satis est, nisi fallor, quod *Opium* ut beneficum remedium ab Adorando Creatore in usus necessarios nobis concessum sit, veluti Vinum de Vite ad reficiendas vires; nimius autem, vel intempestivus usus utriusque *Veneni* rationem habet, sive acuti, sive chronici. Hic quadrat

*Temporibus Medicina valet, data Tempore profunt,
Et data non apto Tempore Vina nocent.*

XL. Ordo nunc exigit, ut ad usum ejus exponendum transeam. Auctores autem quamplurimos consului, & omissis multorum ratiociniis ad ipsorum experientias confugi; verum & in his inveni diversissimas sententias, alter quippe felices ab *Opi* dato successus enarrat, alter in eodem morbo funesta exaggerat Symptomata. Quamobrem cum SYDENHAMO, BOER-HAAVIO, & OOSTERDYKIO adhaerere optimum esse abitor, ut pote Viris tam validis rationibus fundatis, quam longa experientia edoctis, qui genuino candore Remp. Medicam inventis illustrare, Lectores, vel Auditores erudire serio conantur.

XLI. Proposueram primo de Morbis, in quibus *Opium* salutare auxilium præstat, serie alphabetica specialius differere; sed quia illud pagellarum, & temporis angustia vetat,

generaliores tantum vires adducam, quibus intellectis facile *Opii* indicatio in infinitis fere casibus cuilibet patebit. Hae autem vires sunt 1°. MAGNANIMITATEM inducere, 2°. DOLORES insigniter sedare, 3°. SOMNUM procurare, & 4°. EVACUATIONES nimias sistere.

XLII. Omnia itaque primo examinandum sese offert, quomodo *Opium MAGNANIMITATEM*, generosam illam virtutem, in arduis negotiis maxime necessariam, inducat; quod, si non demonstrative, saltem probabiliter secundum datum systema, praestare conabor. *Opium* itaque parva quantitate, scilicet ad granum $\frac{1}{2}$ sumptum, quatenus subtilissimis suis particulis per nervos Mentem afficit, eatenus compescit excessum influentium, defectumque resarcit, quo facto Menti in omnia organa imperium liberius redditur, ita ut de sensibilibus praesentibus melius secum ratiocinari, futura ex concatenatione praecedentium praevidere, viribus cognitis inferiora aggredi, eas excessura vitare queat: hic status in Homine proprie *Magnanimitas* dicitur; non enim viribus valentes *Magnanimi* censendi sunt, sic V. G. Melancholici robusti quidem sunt, at meticulosi. Praeterea *Magnanimitatis* non est omnia sine discrimine audere, sed potius temeritatis; quemadmodum Turcae faciunt, qui cum Christianis conficturi illud affatim assumunt, non *Magnanimitatis* ratione ducti, sed ut temerarii Andabatarum more coeco impetu omnia indiscriminatim adoriantur, & temeraria audacia formidabiles videantur. Quantum autem *Opium* cum aliis admixtis in nostra Oeconomia valeat, exemplis lectu jucundis adfert *Kaempf.* *Fasc. III. Obs. 15.* recensendo *Electuarii* cuiusdam Magici, cui illud ingrediebatur, mirabiles rerum Metamorphoses in Mente excitatas. Verum, quomodo haec fiant, omnem omnino imaginandi, & intelligendi vim exsuperat, nec etiam respectu hujus *Opii* usus pertinet ad Medicinam, utpote vitiorum induendorum proprie nesciam. Pluribus etiam aliis commune est relevare animum, uti est *Crocus*, praecipue ejus Extractum *Aropb. Paracel.* dictum, & *Vinum generosum* modice sumptum. Hinc *OVIDIUS* dicit

— Vina

— — — — *Vina parant animos.*

Hisce & Aromata gratiiora, uti Cinnamomum, & Caryophylli prope admodum accedunt, quod perbelle advertens SYDENHAMUS ex his quinque Laudanum suum Liquidum composuit, emendandum puto nunquam; est enim in eo, quod pluribus indicationibus satisfacit, & cujus efficacia Experimentis confirmata est quamplurimis, in primis tamen, ubi simul motum Vitalem augere animus est.

XLIII. Proxime jam sequitur DOLORIS leniminis explicatio. *Dolor* quid sit, potius sensu tactus, quam ejus definitio ne intelligitur, & tristi quadam sensatione omnia Viventia eum designant; illum autem in nervorum tensione, Solutionem Continui moliente, consistere ostendunt Emollientia, Laxantia partibus dolorificis tensis imposita. Hanc nervorum tensionem, vel pro parte solutionem, efficiunt vel humores acres, vel causae violenter agentes, ut dentes, qui ex alveolis emergendo fibras, membranas superpositas duritie, & acutie perforant, tunc Natura nervum, quacunque de causa Solutionem Continui minitantem, in Spasmodum agit, liquidum nerveum majori copia illuc determinando; *Opium* vero facit eam dolentis loci immemorem, laxantur nervi, & vasa; si tum causa mobilis est, vi circulationis reliquis fluidis restituitur, & aliquando sic e corpore eliminatur; si vero pertinacius impaeta haereat, humorum affluxu augetur, & hinc malum saepe post *Opii* usum increscit. *Opium* autem in *Dolore* indicatur, ubi est Symptoma urgens, uti pertinax, magnus, acutus in parte nobiliori; item in parte quacunque nullam quietem concedens, sive sint dolores capitis, sive viscerum inflammatorum, sive tormenta ventris, sive membrorum, &c. qui brevi Oeconomiam Animalem perturbando Mortem inferunt; hinc si Natura levioribus emergere non potest, ad *Opium* tanquam ad sacram salutis anchoram confugere solent Practici. Notandum tamen in Inflammatione, si in Suppurationem, Gangraenam, &c. abeat, Opiata Draistica, tollendo Dolorem, Naturae optimum custodem, loci affecti statum indi-

cantem, potius accelerant Mortem; nisi Medicus, dum Aeger dormiens morbum non sentit, vigilem ejus curam habeat, attendendo ad respirationem, calorem, sudorem, excreta, somnia, &c. praeterea hoc in casu non convenit, nisi V. S. Clysmatum injectiones, & Decoctorum humectantium, diluentium, & refrigerantium usus praegressus fuerit.

Quod ad PODAGRAM, illam *Doloris Reginam*, attinet, in illa circa *Opii* usum etiam prudentem valde oportet esse Medicum: hinc Cl. BOERHAAVIUS, non sine Honoris titulo nominandus, Aph. 1278. tantum ad summam doloris saevitatem temperandam, urgente summa necessitate, Opiatorum internorum usum praecipit. Hoc idem Clariss. OOSTERDYKIUS, Praeceptor meus summe etiam Honorandus, suis Auditoribus commendare solet, quando scilicet adeo ferox saevit *Materia Podagraria*, ut inde Febres, Deliria, Vigiliae, Fastidium ciborum, & remediorum internorum, atque externorum excitentur; sed simul etiam monet, quod prudentissime, & exigua tantum dosi praescribi debeat. Ast SYDENHAMUS quoque contendit Laudanum suum Liquidum materiam *Podagricam* retropulsam revocare. Vid. pag. 474. Sin autem, inquit, gravius Symptoma aliquod, inducas haud ferens, ex retrocessu Materiae Podagrcae subito ingruat, & mortem Aegri minitetur, neque Vino, neque Exercitio supra laudatis fidendum, verum hoc in casu modo non caput, at partes vel Naturales, vel Vitales ejusmodi malum impetat, ad Laudanum statim confugiendum, nempe Laud. Liquidi gutt. xx. haustulo Aq. Epidemicae immixtae propincentur, & in lecto ad quietem Aeger se componat.

XLIV. SOMNUS est quies Sensuum externorum, & internorum; hic autem moderatus quantæ necessitatis est, tanti detrimenti censendum est *Pervigilium*, in quo Liquidum Vitale nervorum, quod nulla arte, nisi Somno reparari potest, dissipatur: hinc, in quibus casibus soporifera *Opii* vis ad Somnum reconciliandum indicetur, & felicem eventum exhiberi possit, nunc exponam; quod praestaturus necesse habeo praemittere ejus causas compendio a Cl. BOERHAAVIO Inst. §. 856. conscriptas, & in classes redactas. *Pervigilium*, inquit, oritur 1°.

a nimia determinatione Liquidi nervosi ad organa Sensuum: 2°. a nimio ejus raptu versus cerebrum, obstructis inferioribus a frigore, aliave causa; ut in Hypochondriacis, Melancholicis, Maniacis inferius frigentibus: 3. ab irritante quocunque, & ubicunque posito, quod organa Sensuum maxime cerebri vellicat: 4. a nimio motu humorum, cerebri meatibus abducendum apertis: 5°. a morbis, in quibus illa praememorata praedominantur; ut a Febribus, Phrenitide, Melancholia, Doloribus, Suppurationibus, & similibus Malis.

XLV. 1°. Quae Mentem Spiritus in organa Sensuum determinando afficiunt, sunt profundiora studia circa objectum quoddam obstrusum cognoscendum; varia opera Artificium, quorum finem mercedis necessitas urget; curae seriae negotiorum cum metu; dolores, de quibus jam ante, & alia id genus plura, quibus Mens crebro excitata Sommi capescendi immemor in destructionem Oeconomiae totius operatur, quo in casu praeter Moralia, quae Mentem ab objecto avertunt, secure Opium exhibetur in substantia, aut pauxillo Croci admixto, aut ejus Tinctura cum Aqua, vel Aceto, vel Vino facta. Ad hanc classem facile referri possunt Passiones Hystericae, Spasmi, Motus Convulsivi, qui morbi praecipue oriuntur a nimio, & turbulentu influxu Spirituum: in his autem quantopere saepe Opiata proficiant, omnis omnino Practicorum observatio demonstrat; verum in Hystericis Uterina, & Evacuantia praemittenda sunt, teste SYDENHAMO pag. 417. ob rationes ibi allatas. Sed forte objicit quis Opii vires esse Incitatives, atque adeo contrarias quietem inducentibus; quandoquidem Turcae summo plerumque cum Foeminarum gaudio ad Venereos appetitus, stimulosque excitandos usurpari solent; imo refert JOH. JACOB. SAAR Itiner. Ind. Orient. quod ejus usi quidam adeo Veneris oestro irritati fuerint, ut plus una nocte potuerint, quam Succubae sustinere poterant: & SACHIUS in Ephem. Germ. ann. II. obs. 69. memorat, in bello Turcico contra Christianos caesos omnes visitatos, erectam hastam, & Priapismum ostendisse; hujus quoque rei exemplum Smirnae se vidisse retulit

DISSERTATIO MEDICA:

mihi Vir eruditissimus, & fidelissimus, cui fidem nullo modo denegare volui; etiamsi GARCIA^s cap. 4. scribat, *Opium* potius Veneris stimulos infringere, quia noverat nonnullos Lusitanos, qui hujus esu steriles, & impotentes facti erant. Obiter ergo, ac tanquam per Parenthesin, de hoc ejus effectu quaedam mihi sunt dicenda. Illum effectum, si verus est, uti verissimum esse confido, praestare debet vel *semem ipsum augendo*, quod minime crediderim, quoniam longa Pepsi opus est ad conficiendum elaboratissimum hoc liquidum, a laudabili primo succo nutritio extractum hinc

Ovaque sumantur, (dicit OVIDIUS) sumantur Hymettia mella,
Quasque tulit folio Pinus acuta nuces:

vel novas Voluptatis Menti imprimere illecebras necesse est, sed tunc profecto est irritus conatus natura effectum recusante: hinc & Amorum Lusor, postquam varia stimulantia recensuit, subjungit

Sed Dea non patitur sic ad sua gaudia cogi:

vel tandem *Sanguinem* ad Partes Genitales vel invitis determinare debet, quod certum nondum adeo est. Hoc ergo phaenomenon non ita facile explicari posse existimo; nam primo omnis Spasmus, quem etiam *Priapismus* supponit, in morte resolvitur, quantum saltem cognitum est; dein *Opium ipsum* potius *Priapismum* curare, quam producere videtur. Itaque huic objectioni unice respondendum habeo, quod, licet *Opium*, intempestive, & nimia quantitate datum, Spasmos inducat, minime tamen inde sequatur, quod tempestive, & conveniente dosi illos etiam compescere non possit. Idem videmus in Evacuatione sanguinis, quae saepe Convulsiones & Spasmos uno quasi momento sanat, sed quae etiam, si nimia fuerit, uti contingit in magnis Haemorrh-

morrhagiis, Convulsiones ad mortem usque producit. Deinde forte in assuetis aliā vim exerit; hujus rei mirum certe exemplum habemus in *Ephem. German.* vol. II. pag. 203. quod nimirum Foemina septuagenaria, Opiato cuidam assueta, incideret in Dyspnoeam, ubi a Medico potus Opiatus ob defectum virium, & muci abundantiam interdicebatur, & alia praescribebantur remedia Bechica; sed multum defuit, ut vel illum Aegrota habuerit levamen, ut potius morbi status multo deterior fuerit factus, unde Medicus cogebatur Opium potum iterum permettere, quo vix permisso, Aegram in meliori statu invenit, dum mucus copiose expuebatur; alvus, quae extra *Opii* usum erat adstricta, lubrica fiebat; & in dies malum imminuebatur.

XLVI. 2°. *Nimius raptus versus cerebrum*, mobilitate staminum adhuc libera, continuum *Pervigilium* efficere solet, quaunque de causa motus ille ad superiora augetur; nemo enim facile indormiscet, nisi pedes incaluerint prius, in quo casu Fatus proprie Narcoticum est: Verum, si a visceribus male affectis, liberiorem humorum transfluxum impedientibus, hujus ad superiora raptus ortus fuerit, ut in *Hypochondriacis*, *Melancholicis*, *Maniacisque* fit, ita ut Ægri dormire neutiquam videantur, arte Somnus procurandus eit; sed quomodo? *Opium HELMONTIUS*, aliique plures excludunt, dicentes Delirium inde augeri, nec quadrupla dosi datum, Somnum conciliare: *HILDANUS* vero Cent. IV. Obs. 9. *HORTIUS* Lib. 10. magni quoque Practici, usum *Opii* in hoc affectu quam maxime laudant; imo *BERNARDUS HEUTE* descripsit curationem *Maniae* certam; & saepius ab eo institutam, qui dabat mane, & vesperi *Opii Crudi* gr. ij. in Aq. Font. soluti; & si dosis illa nimis parva esset, & nulla requies sequeretur, addebat tunc gr. j. si adhuc nulla veniret quies, addebat adhuc gr. j. mane, & vesperi, & hanc methodum instituebat, donec justa inventa esset dosis, ita ut habuerit *Maniacos*, quibus *Opii* gr. xij. imo xv. prout una dosi exhibuerit; quod tamen sensim, & non prima vice faciendum monet: Cui ergo fides est adhibenda? Utrique certe; nam, si ex doctrina *SYDENHAMI* debitae Evacuationes;

nes ; & Medicamentorum attenuantium usus praemissus fuerit, *Opium* auxilium feret, ad stipulantibus **BOERHAAVIO** Aph. 1127. & **OOSTERDYKIO**; protractae quippe *Vigiliae* quam maxime nocent, quia his totum corpus exsiccatur, & incalescit; hinc etiam major dosis requiritur : si vero dicta non praemittantur, sopitur quidem ferocia, sed denuo redeunt Symptomata, & tunc vehementius saeviunt. Quo autem morbi statu, & tempore in *Melancholia* conduceat, vide *Boerb.* Aph. 1097. 1106.
1115.

XLVII. 3° *Irritantia* quo modo, & quo remedio cicuranda, & educenda sunt, ex iis, quae postea de Perturbationibus alvi dicemus, desumi poterunt.

XLVIII. 4° *Motus nimius humorum* oritur a velociori cordis, & arteriarum intra datum tempus contractione, quae iterum pro causa agnoscit velociorem reciprocum influxum Liquidi nervosi, cerebri, & cerebellosi in musculos cordis, & sanguinis in cava ejus. In hoc autem motu aucto consistit *Febris*, vide *Boerb. de Febribus*. Atque adeo nunc datur locus paucis ejus utilitatem in *Febribus* adferre. Si *Febris* nempe oritur ab *Animi Affectionibus*, V. G. si Homo antea quietus afficitur injuria, quam ferre nequit, irascitur, calet, & *Febris* habet, quae in Britanniis dicitur **FEBRIS SPIRITUUM**; quae solo fere *Opio* curatur. Praeterea videmus, *Febres* plurimas, ob vehementes humorum motus discrimine plenas, *Quiete*, & *Somno* tuto, & jucunde a Natura ipsa aliquando curari, Aegris vel invitatis ad *Quietem* compulsis : hinc in animum induximus, iis in morbis gratissimum fore, & ab ea indicari illud, quo *Quies*, & *Somnus* tuto conciliari possit, ut vires recuperet ad subigendam materiam morbi nondum mobilem; ad cuius subactionem tempus expostulatur, *Pervigilio* minime impetrandum; *Pervigilio* enim raro Aeger *Ardenti* laborans ad quartum diem pervenit: adeo urgens Symptoma hoc, adeo funestum! Quamobrem si rite indicata remedia nil proficiant, & morbus sit in incremento, securi Medicus Heroicum hoc remedium in Aceto solutum, & Aquis admixtum parca copia morbo, & morti instanti opponit; tunc enim Symptomatibus urgentibus, *Pervigilio* nimirum, & *Dolori* obviam itur, & *Somni* dulcedinem procurando laxantur

om-

omnes fibrae, & membranae corporis; unde cava, & canales capaciores facti plus liquidi in se recipiunt, quo sedator exorbitantium redditur *humorum Motus*, quod innuit pulsus rarius, tardior, & respiratio minus frequens, sive una fidelia duo dealbantur parietes. Sed Regula quaedam, quae quidem circa *Opii* usum plerumque observanda, hoc in casu praecipue obtinet; scilicet ad Opiata non esse confugiendum in *Febre*, maxime *Ardenti*, si missione sanguinis, aliisque mitioribus, uti Emulsionibus leniter Hypnoticis, *Somnus*, induci possit: nam

Indiget haud ferro, qui novit vincere verbo.

Porro semper attendendum, an *Crisis* instet, vel Natura defoecationem materiae peccantis moliatur; tunc enim Cane pejus, & Angue *Opium* evitandum est; nam illud *Motum humorum*, quem Natura medicatrix saepe paulo majorem ad crisi necesse habet, coercendo, vel alio modo varias Secretiones, & Evacuationes, atque adeo etiam hanc defoecationem materiae *Criticae*, si non supprimit, saltem retardat. ETTMULLERUS tamen Cap. III. §. 10. putat *Opium* circumspecte adhibitum in Evacuationibus *Criticis*, quae fiunt per Sudores, *Urinam*, *Tumores*, minus impedire hasce *Cries*. Alii vero temerario ausu, ubi dolores adsunt, & parum modo urgent, sine attentione, unde hi fiant, vel ad tempus morbi, Opiatis semper insistunt, qui quidem blandiuntur Aegris, quatenus molestiam morbi tollunt, sed pessimi saepe sequuntur effectus. Quamobrem Cl. OOSTERDYKIUS hoc quam maxime Auditoribus suis quotannis inculcare solet.

In *Intermittentibus* autem *Febris* plerumque non videtur necessitas esse ad *Opium* confugere, quum Paroxysmo finito Natura sponte sua ad *Quietem*, & *Somnum* se disponat: verum, si Medicus per Sudoriferum *Frigus* praevenire, sive Paroxysmum avertere velit, locum habere posset; vel quando tumultum ab *Emetico*, vel *Purgante* in humoribus excitatum per Paregoricum sedare animus est, secundum praecincta SYDENHAMI pag. 86. & 98. vel si ob peculiarem quorundam corporum *Idiosyncrasiam* accidat, ut a *Cort. Peruvian.* usu tanquam

a Cathartico fortiori adsumto Aeger violenter expurgetur; vel tandem si ob Vomituritionem fere continuam *Corticem* deglutitum retinere nequeat; in his casibus Vomitionem, vel Evacuationem nimiam per alvum prius per Laudanum suum Liquidum compescere solebat idem, ut videre est pag. 303. & 305. Praeterea Veteres nonnulli, uti **GALENUS**, qui Lib. de *Theriac.* ad *PISONEM*, usum Theriacae propria Experientia confirmatum laudat; denique **TRALLIANUS** Lib. XII. cap. 8. varia ad *Quartanas* Antidota *Opio* mixta memorat.

XLIX. In clavis *sta* an conveniat, satis superque ex dictis constat. Quaedam tamen de administratione *Opii* in *Phrenitide* adducam; quam cautissime descriptis **SYDENHAMUS** pag. 69. *Ex fideli, atque idoneo Observationum plurimarum complexu pronuncio Laudanum, vel alia Narcotica in principio, augmento, vel statu hujus Febris ad Symptoma hoc levandum, vel non prodesse omnino, vel, quod saepe accedit, etiam obesse, verum in ejusdem morbi declinatione eadem mediocri dosi adh. bita non sine successu usurpari.* Semel equidem Narcotico die morbi duodecimo usus sum, nec frustra; citius autem nunquam prospere exhibitum novi. *Quod si autem illius usum ad decimum quartum usque diem distuleris, tanto magis proficuum evadet, separatione nempe tunc perfectiori facta.* Attamen idem ille Pag. 377. de *Curatione Variolarum in Infantibus* agens dicit, quoties vel *Phrenesi* corripiuntur, vel pustulæ mali moris sunt, Anodyna omnia indicantur. Hinc & aliis remediis in *Phrenitide* per aliquot dies frustra tentatis, nec cedente malo, Opiatis utendum esse docet **BOERHAAVIUS** Aph. 781. non ut per ea causa tollatur, sed majora Symptoma prohibeantur. Haec autem nunquam statim, vel ante Evacuationes exhibenda sunt; nam tunc quidem *Somnus* inducit, sed plerumque *male cedens*; ita ut Aegri magis furibundi & inquieti inde moriantur.

L. Denique *Opium EVACUATIONES NIMIAS* sistere, motum nempe, & sensum villorum intestinorum minuendo, nemo negare potest; quarum unam, quippe *Choleram*, pro exemplo explicandam elegi. Hic fluxus juxta sententiam **SYDENHAMI** pag. 57. nec adstringentibus, nec *Opio* cohibendus est, sed humores acres, utpote causae, expellendae sunt, quibus expul-

pulsis ad dolores ab evacuante residuos mitigandos quidquam dare licet. RIVERIUS vero Pag. 237. ita ratiocinatur, *in Cholera morbo vomitus cōhibendus est Narcoticis, interque Narcotica principem locum obtinet Theriaca rec. quae ad 3ij. exhibita vehe- mentes illas Evacuationes velut in momento cōhibet, idem praestat Laudanum opiatum, ad gr. iv. exhibitum.* Quis horum imitandus? Potius puto eum imitandum, qui ad causam tollendam, quam qui ad Symptomata consopienda respicit; nam Opium quidem in hoc casu facultatem sentiendi in nervis sopit, non vero videtur invertere causam stimulantem, saepe a fructibus horaeis ortam, quorum succum depravatum non corrigit. Verum etiam monet idem SYDENHAMUS pag. 177. Diligenter animadvertendum esse, quod si non accesserit Medicus, nisi postquam Aeger vomitu, ac dejectionibus ad horas decem, vel duodecim fuerit exhaustus, & jam frigescant extrema membrorum; huc in casu, omissis aliis quibuscunque auxiliis, recto cursu ad sacram hujus morbi anchoram, Laudanum intelligo, configiendum est, quod non tantum exhibendum est urgentibus Symptomatis, sed etiam cessantibus vomitu, & Diarrhoea mane, & sero quotidie repetendum, donec pristinas vires Aeger, ac sanitatem tandem recipit. Ejusdem est sententiae Cl. BOERHAVIUS Aph. 722. Sanatio, inquit (nempe Diarrhoeae, quae est pars hujus affectus) *absolutur acris irritantis lenimine, expulso per Emetica, Purgantia, Clysmata, pacatione impetus per Narcotica:* quibus omnibus Magnus ille Vir intendit causae stimulantis ablationem, & correctionem, antequam ad Opiata deveniat, quod & ratio ipsa fieri debere persuadet. RIVERIUS vero indiscriminatim exhibet parum de causa mali anxius, & felices successus, quos quandoque observavit, potius Naturae vigori, quam Medicamento adscribendi sunt, nisi forte Cholera sit Epidemica, in qua ipse SYDENHAMUS Laudanum suum Liquidum ad guttas xxv. exhibuit cum successu optimo, vide pag. 296. Nonnulli media via incedunt, & Purgantia cum Anodynō admiscent. Subinde vomitus, & alvi fluxus Symptomatici in sexu sequiori ab affectione Hysterica contingunt, quos Opium Antihystericis junctum sanat, referente SYDENHAMO pag. 416. Tandem se-

cure quoque sistitur Diarrhoea Opiatis, si post mercurialia suborta salivationem, a Medico intentam, impedit. Si vero alvi fluxus laxitatem fibrarum intestinorum, vel obstructa oscula pro causa agnoscit, minime his obtemperat. Verum, quia nimis longum foret de Evacuationibus in specie agere, illas silentio praetereo; praesertim cum ex dictis *Opii* indicatio in illis abunde satis cognoscitur, uti & in Haemorrhagiis quibuscunque ni- miis, quando nempe partem vellicatam sopit, & sanguinis im- petum nonnihil refraenat. Circa usum in his eadem fere ob- servanda sunt, quae statim proposita sunt, & praecipue qui- dem divinum in his circumstan*ii*s effatum **HIPPOCRATIS** Sect. I. Aph. 2. *In Perturbationibus ventris, & Vomitibus sponte evenientibus* siquidem, qualia oportet purgari, purgentur, confert, & facile ferunt, sin minus, contra; sic vero & vasorum Evacuatio, siquidem fiat, qualem fieri decet, confert, & facile ferunt, sin minus, contra. Quocirca considerare oportet, & regionem, & anni tempus, & aetatem, & morbos, in quibus expedit, aut non.

LI. Haec tamen Regula minime generalis est censenda, quod nempe illud omnes *Evacuationes, & Secretiones* imminueret; contrarium enim observarunt quam plurimi, in primis **ETT- MULLERUS** in *Diff. de Opii vi Diaphoret.* qui non sine ratione, & Experientia *Diaphoresin* ab Opio augeri contendit: sed quomodo hunc effectum producit? *Opium Somnum efficiendo, & Spiritibus Animalibus quasi segnitiem, & torporem inducendo* va- forum cutaneorum tonum, atque tensionem laxat; hinc, quae actionibus Vitae, & motu Animali praegresso die in perspirabile conversa sunt, per orificia extrema laxata facile exhalant, non tantum in externa, sed in omni superficie etiam interna: quod respiratio dormientis docet longe humidior, ac vigilantis, quae instar nubis densae, ex ore emergentis tempore fri- gido in dormiente advertitur; in vigilanti vero stante eodem frigore non tam densa est, nec tam procul ab ore remissa. Huncce Somni effectum jam scivit **VIRGILIUS**,

— — — *fessos sopor, inquit, irrigat artus.*

Dein **SANCTORIUS** illud confirmavit, qui multo- rum annorum decursu innumeris Experimentis monu- men-

menta sua condidit, ut ipse in Praefatione fatetur; & hujus sententiam, ut datum, adsumpsit Cl. BOERHAAVIUS magnum illud mundi ad occasum vergentis lumen magno Medicinae damno ab inexorabili Fato extinctum: sed Cl. GORTERUS, Experimenta ad itateram in se ipso instituens, Perspirationem invenit in Somno minorem, quam in Vigiliis; quod ulterius rimari ad praesens minus facit institutum.

LII. Verum autem in *Fibra laxa, Visciditate humorum, sanguinis Penuria* minime *Opium* convenit, eo quod per Somnum partes adhuc laxiores, & torpidiores reddat, ut capiant plura liquida, unde congestiones, obstructiones, & morbi inde facile orituri: sed inferre quis forte posset ex dictis sequi, *Opium Magnanimitatem* non inducere, si debiles dejiciat, adeoque nostram superius allatam sententiam non subsistere? Respondeo hanc intelligendam esse in subiecto accommodo, in quo omnia requisita ad *Magnanimitatem* praesto sunt, sed qui eget quodam extrinseco, ut quam proxime in actum deducatur; dico *quam proxime*, nam in Juvene, viribus exhausto, iis sensim recuperatis, redit haec generosa facultas, caeteris paribus, quae in debilitate valde erat remota: soluta igitur est objectio; & hinc intelligitur id, quod SYDENHAMUS dicit pag. 186. Laudanum esse praestantissimum remedium cardiacum. Hoc *Opium* cum aliis remediis commune habet, E. G. cum V. S. quae in uno casu vires dejicit, in alio vero optimum est Cardiacum. Quamobrem dicta ita limitari nolim, ac si nunquam Anodyna, & Opiata in debilitate perhibenda forent; in primis Laudanum liquidum Sydenb. in iis, qui alvi fluxu, diutius perseverante, exhausti fere sunt; dicto enim Medicamento eorum saluti optime consulitur, quia coercito fluxu, & quiete concessa, Natura vires ad causam morbi subigendam recuperare consuevit, alioquin defectura; dum vero lentiori morbo vires exhaustae sunt, integre ab Opiatis abstinentem, nisi forte Symptomata alia maxime urgentia illa indicent.

LIII. Denique *Infantes tenelluli* Opiatorum usum frequenter non ferunt; tenellum enim eorum cerebrum facile diathesin contrahet per totam vitam immedicablem: hinc & Sy-

DISSERTATIO MEDICA

DENHAMUS pag. 377. etiam vetat in illis Diacodii usum, nisi morbus periculum grave intentet, idque duabus de causis; primo quia usque adeo non calent *Infantes*, atque illi, quorum fax plenius accensa, jam luculentius ardet; dein quod Narcoticonrum jugiter adsumptorum vim non ita bene ferat aetas mollior, & magis infirma; adde, quod sponte sua Somno fere perpetuo morbi taedia fallant *Infantes*. Hanc ob rationem Resp. Veneta prudentissime cavit, lege circa usum Theriaceae promulgata, ne eadem *Senibus*, vel *Infantibus* exhibeatur.

LIV. Hisce tandem ad finem properans DOSIN Opiatorum adnectam. Est *ordinaria*, vel *extraordinaria*; *ordinaria* in substantia est in non assuetis a gr. β . ad gr. j. vel ij. pro vice simplice, sed *Dosis*, ubi opus est, repetenda; verum tutissime agit Medicus, si a secunda *Dosi* abstineat, donec prima *Dosis* vires exeruerit. *Extra ordinem* vero saepe augetur, vel propter morbi urgentiam, vel temperiei, & Hominum diversitatem, vel denique propter consuetudinem; assueti enim illud magna copia devorant, & ab illo abstinere vix possunt sine manifesto Vitae discrimine, vide CHRISTOPH. A COSTA *Arom.* Lib. I. cap. 2. *Opiaphagorum* autem exempla ubique apud Auctores inveniri possunt: unum tantum adferam, quod Cl. OOSTERDYKIU M suis Auditoribus se vidisse narrantem audivi. Homo erat diurno singulu vexatus, qui nullo auxilio leniri poterat, nisi *Opio*, in initio ad gr. tantum j. dato, sed continuato usu ita illi assuevit, ut *Dosin* sensim sensimque augendo, tandem una vice 3j. vel 3j β . assumere necesse habuerit.

Externe admiscetur Fomentis, Emplastris, Unguentis, Clysteribus, &c. Sed prudens sit Medicus, ne plus, quam gr. ij. vel ad summum iij. clysmati admiscenda praescribat, nam ejus gr. iv. clysmate injecta mortem per Somnum induxisse idem Vir Celeberr. retulit.

Tinctura *Opii* cum Sp. Vini a gutt. x. xx. ad xxx.

— cum Aceto fere eadem est dosis.

Laudan. Liquid. Sydenh. Adultis a gutt. xiv. xvij. xvij. ad xxv. Infantibus vero a gutt. vj. vel viij. ad viij. vel ix.

Lau-

Laudan. puri.

— Cydon.

— Opiat.

} a gr. β. ad i. ij. vel iij.

LV. Ingreditur *Opium* tanquam basis plures in Officinis compositiones.

Diascord. Sylvii 3j. æquivalet grano j. *Opii*.

— Fracast. 3j. circiter gr. ijβ.

Mithridatii Damocr. 3j. fere gr. ij.

Philonium Mezuae est tam calida confectione, ut sine inflammatione faucium vix deglutiri possit. Hujus 3j. fere gr. V. Sem. *Hyosciam. albi*, & gr. ijβ.

— Magni, seu Romani 3j. plus quam gr. ij.

Requiei Nicolai 3j. propemodum gr. j.

Theriaceae Androm. 3j. nondum gr. j.

Pilul. de Cynogloss. 3j. Radicis Cynogloss. & Sem. *Hyosciami albi* gr. ijβ. & totidem.

— de Styrace 3j. nonnihil plus quam gr. ij.

LVI. Ex hisce dictis deduci possunt:

1° Cur *Opium* nocet in *Phtisis consummata*, *Hydrope turgente*, *Podagra nodosa*, *Scirrhis viscerum*, *Senio*?

2° Quomodo *Opiata humectant*, & *resolvunt*?

3° Cur *Gravidae*, & *Puerperae*, si aliis levari posse videantur, *Opii usus differtur*?

4° Cur in *Plethora* V. S. praemittenda?

5° Cur in nimia quantitate sumptum etiam in Sanissimis facit *Inflammationes*?

6° Cur in *suppresso Lochiorum*, & *Menstruorum Fluxu aliquando juvat*?

7° Cur in *Rheumatismo Anodyna*, & *Opiata saepe figunt causam*?

8° Cur in *Variolis* die quarto aliquando Laudanum Liquidum requiritur?

9° Cur in *Variolis*, si die octavo Phrenitis a sudoribus suppressis oriatur, *Narcoticum exhibendum*?

*Opii
continet.*

52 DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

10°. An Narcotica in *Tussi* subinde periculo quidem carrent?

11°. An die undecimo in *Stadio Variolarum Suppuratorio*, orta Febri putrida, *Opii* larga potio ad vesperum aliquoties repetita juvat?

12°. Cur Narcotica egregia sunt in *Crispatione solidorum*, *Mobilitate nimia*, aut *ex Consensu Dolentibus*?

13°. Cur Anodyna saepe praestantissima sunt *Diuretica*, & *Alvum ducentia*?

14°. Cur *Cruditates* oriuntur a diurno, & nimio usu *Opii*?

15°. Cur *Dolor Colicus* cum alvo adstricta aliquando non auscultat Purgantibus, nisi dato prius, vel admixto Anodyno?

16°. Cur *Opium* multum saepe praestat in *Hypercatharsi*, in *Urinae Profluvio* post abusum Diureticorum, *Conatu Parturientium alieno*?

17°. Quomodo Hypnotica augent *Perspirationem*?

18°. An Anodyna propulsione materiae ad cutim fiunt *Sudorifera*?

19°. Cur nocet illis, qui *Aquis Granenibus* utuntur?

LVII. Haec tenus B. L. hacce in Dissertatione satis fuse, si non confuse explicanda, vestra forsan abusus sum patientia; quare nunc pedem figo, & Dissertationi, simul ac Studiorum Academicorum cursui colophonem impono, non dubitans, quin plurima in ea occurrant, quae palato vestro minus grata erunt: nec mirum; nam

*Cuique suum caput est, huic quod placet, haud placet illi;
Sic placet, & placet haud semper in Orbe vigent.*

F I N I S.

AN-

ANNEX A.

I.

Frigidum inimicum Ossibus, Dentibus, Nervis, Cerebro, Dorsali Medullae: calidum vero amicum. Hipp. Sect. V. Aph. 18.

II.

Substantia Cerebri, Hepatis, & Renum non est glandulosa, sed vasculosa.

III.

Nullus est Morbus, qui ampliorem in corpore possidet thronum, quam dolor ad exercendum crudelissimum suum imperium.

IV.

Vigiliae, quacunque de causa nimis protractae, exhauriunt vires.

V.

Nimius somnus eas supprimit.

G

VI.

VI.

Somnus post prandium uni nocet, alteri prodest.

VII.

Causa stupidi ingenii multorum Hominum, ipsiusque fatuitatis perpetuae haud quaquam infrequens est illa non toleranda libertas, qua mulieribus Opiata a Pharmacopœis emere liceat, quibus morosos Infantes sopiant.

VIII.

Nec Lingua sapit, nec Nares olfaciunt, nec Oculus videt, nec Auris audit.

IX.

Quod saluti est, contradicit ei, quod est Venerum.

X.

Dolor, & Voluptas gradu tantum differunt.

XI.

Camphoram odore suo libidinem Venereum arcre nego.

XII.

XII.

*Nuptiae Virginibus valetudinariis non raro reme-
dii loco conducunt.*

XIII.

Anastomosis morbosa aliquando obtinere videtur.

XIV.

*Desperandum non est de possibiliate inveniendi
remedium, quod calculum Vesicae dissolvere
posset.*

XV.

*Nec Cibus, nec Potus, nec Chylus, nec Sanguis
nos nutriunt.*

TER INWYDINGE
VAN DEN HEERE
SALOMON DE MONCHY,
Tot Meester der Geneeskunde.

F.

Geen Eer van ooyt te zyn geheeten
Apollô's Zoon voldoet myn Bêe;
'k Misgun die Eertrap niet in vrêe
Aan hem, die sig staag heeft gekweeten
In Parnas Hof, of die den Top
Van Helicon dorst klimmen op.

2.

Neen, Waarde Vrient, 'k houw 't met geen Schryvers,
Die siften op het minste woort,
Die Lust heeft nooyt myn Hert bekoort,
Om steeds gehekelt door die Dryvers
Op al het geen hun Haat, of Lust
Vertoont, te smaaken in myn Rust.

3.

En daarom, neemt uyt 's Herten gronden
De Wenschen, die ik op Uw Feest
(Waar van Gy tans wel allermeeest
Op heeden hebt genot gevonden).
Met goede Vrientschap van myn aan,
Gelyk gy alles hebt gedaan.

4.

'k Wens U, MONCHY, (die naar lang sweeten,
 En meenig jaar studeerens, tans
 Den Doktors Trap bekleedt, met Glans;))
 Dat Gy ten allen tyt meugt weeten,
 En kennen daaglyks meer, en meer,
 't Genot van deese groote Eer.

5.

Dat met Uw jaaren steeds verhoogen
 De Voorspoet, Luk, Genoegen, Faam;
 Ja dat selfs door Uw groote Naam,
 Den laaten Naneef mag be-ogen,
 Om U te volgen, op het padt,
 't Geen Gy voorheen betreeden hadt.

6.

De veege Doot, wensch ik, sal vlieden,
 Van Sieken die Gy steeds besoekt;
 Op dat sig elk hier door verkloekt,
 Van U in haare smert t' ontbieden,
 En naamaals hunne Dankbaarheyt
 Aan U ten koste wert geleyt.

7.

Dan zal men zien den Nydt gekluyfsterd;
 Dan zal U Lof ten allen Tyt
 De Werelt door en door verbreydt
 Nooyt zyn vermindert, of verduystert,
 En dus tot naar Uw Doot bestaan,
 Hoe 't ook met alles mag vergaan.

Ex AMICITIA.

L O F - D I G T

Voor den Heere

SALOMON DE MONCHY,

Op zyn Ed. Inwyding tot Geneesheer.

Myn Zangnimph heel verblyd voelt sterk zig aangedreven,
Om op deez' Dag, myn Vriend, een Eekrancs U te geven:
Nu ider een haer melt Uw overgroote vlyt,
En gy 't zo treff'lyk maakt in Uwe letterstryt;
Als ook dat gy zo fraay in Uwe proef-papieren,
Die U zyn tot een Kroon, en eeuwig zullen cieren,
Ontleed, wat groot een nut de OPIUM al doet,
En op wat wys men haer ook best gebruiken moet.
Dring verder nu maar voort in 't Merg der Artzenyen,
Zo zult ge ROTTERDAM gebeelen Al verblyen:
Dan noemen s'U in't kort haer troost, haer toeverlaat,
En achten U seer hoog in't redden van haer quaat.
't Geluk begunstige U, zo lang gy zyt in 't leeven;
Daar toe den Hemel wil zyn milde Zegen geeven;
Dit wensch ik U myn Heer, uyt 't binneste myns hert.
Leef in gestaage Vreugd, en steeds bevryd van smert.

Voluisse sat est.

C. J. V.

J. U. Stud.

AAN

A A N D E N

W E L E D E L E N H E E R E

S A L O M O N D E M O N C H Y ,

*Als zyn WelEdele tot Doctor in de Geneeskunde
wierd ingebuldigt.*

Wie helpt nu Triumphe zingen,
Om te vieren 't dubbeld Feest,
Wyl 't Puyk van Pallas Liev'lingen
Heeden toont zyn vlugge geest,
En ook heeden zal verjaaren,
Even op den zelven tydt,
Dat zyn Hooft met Lauwerbläaren
Werdt gekroont voor zyne vlydt.
Wel wie zou dees Dag niet vieren?
Nu men heeft zoo ruym een stof,
En geen kroon van Lauwerieren
Vlechten tot dien Heer zyn Lof?
Maar hoe zal ik op myn Snaaren
Best Uw roem, ô Waarde Vriendt,
Na behooren evenaaren,
Die gy zonderling verdient?

Hier

Hier vondt Uwe Weetlust boeken,
En ook Leeraars ver vermaardt;
Hier doorzogt Gy alle hoeken,
Waar zig de ziekte openbaardt:
Tot gy nu werd ingehuldigt,
Als Leeraar in dees Weetenschap,
En Uw roem zeer meenigvuldigt,
Klimdt tot op den hoogsten trap.
G'luk met Uw bevogte Zeegen!
G'luk met Uw Geboorten-Dag!
Leeft! na dat Gy hebt verkreegen
't Hooge Doctoraal gezag;
Zoo zal Uw loff'lyke naam,
Gevoerdt door des Weereldts deelen,
Op de wieken van de Faam,
Nooit een Sterveling verveelen.

Amicus Amico.